10.5.119

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

JOANNIS CHRISTOPHORI
HARENBERGI,
GEN. SCHOL. INSP. PER DUCATUM
BRUNSVICO - LUNEBURG.

OTIA
GANDERSHEMENSIA
SACRA,

Exponendis Sacris Litteris & Hiſtoriae Eccleſiaſticae dicata, complexa XIII. Obſervationes, quarum

I. *Cibum Joannis Baptiſtae*, ad Matth. III. 4. Marc. I. 6.
II. *Illum, qui Jeſum vocat maledictionem*, ad 1 Cor. XII. 3.
III. *Interpunctionem genuinam & expoſitionem loci difficilli mi*, Matth. XV. 5.
IV. *Simonem, itineris Emmauntici ſocium*, ad Luc. XXIV. 34.
V. *Interpunctionem genuinam & expoſitionem loci*, 1 Tim. II. 3——7
VI. *Prunas ignitas, pro capite inimici coacervandas*, ad Rom. XII. 20. & Prov. XXV. 22.
VII. *Ferta Sacra*, מנחות, ad Eph. V. 2. & Lev. II.
VIII. *Iter Pauli, in Hiſpanias deſtinatum, non ſuſceptum*, ad Rom. XV. 28.
IX. *Clavem ſolventem & ligantem*, ad Matth. XVI. 17. 19. XVIII. 18.
X. *Waldenſes, Petro de Waldo antiquiores.*
XI. *Creationem hujus Univerſi ex nihilo*, ad Ebr. XI. 3.
XII. *Haereſin Tritheismi falſo ſictam Doctoribusque adſictam.*
XIII. *Oſſa Meſſiae haud fracta*, ad Pſ. XXXIV. 20. 21.

Exhibet.

ACCEDIT

De Felici in terris Brunswico-Wolferbuttelanis Coenobiorum Reformatione, *Oratio Scholaſtica.*

TRAJECTI ad RHENUM,
Apud JOANNEM BROEDELET
ɔIↃ IↃ CCXLI.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO VIRO,

DOMINO,

HIERONYMO,

LIBERO BARONI

DE MUNCHAUSEN,

AUGUSTISSIMI ROMANORUM
IMPERATORIS A CUSTODIA
SACRI CUBICULI,

SERENISSIMI CELSISSIMIQUE
BRUNSVICO-LUNEBURGENSIS
DUCIS REGNANTIS,

HERI MEI CLEMENTISSIMI,

PRIMARIO STATUS ET UNI-
VERSAE REIPUBLICAE
ADMINISTRO,

BASILICAE MAGDEBURGENSIS CA
NONICO, ET RELIQUA,

Digitized by Google

DOMINO ET PATRONO SUO

INDULGENTISSIMO,

SALUTEM ET FAUSTITATEM OMNI-
GENAM, RERUMQUE SECUN-
DARUM ADFLUENTIAM

EX ANIMO PRECATUR

AC A SUMMO NUMINE VOTIS

CONCEPTIS EXPETIT

JOANNES CHRISTOPHORUS HARENBERG.

Digitized by Google

VIR ILLUSTRISSIME!

PATRONE,

NULLA NON ANIMI VENERATIONE

PERQUAM SUSPICIENDE!

Circumſpex jamdudum quamdam occaſionem, qua favente votisque meis obſecundante, in publica luce profiteri poſſem, quantopere ILLUSTRISSIMUM NOMEN TUUM venerer, quanto pietatis ſanctioris officio TIBI ſim obnoxius, & quantis in me collatis beneficiis admirationem illam, qua jam olim TE haud immerito proſecutus ſum, in me accenderis, accenſam confirmaveris, confirmatamque ornamento & robore praemuniveris.

Digitized by Google

Quotieſcunque vero vires ingenii mei, quod ſentio quam ſit exiguum, penſitavi, ac faſtigium illud & amplitudinis ſummae & meritorum incredibilium & mentis perſpicaciſſimae, quaquaverſum vigilias agentis ac pro ſalute publica excubantis, contemplatus fui, illud, inquam, ad quod, auctore & auſpice Deo, DUCIBUS vero SERENISSIMIS clementiſſime volentibus, es evectus; non potuerunt non oculi mei caecutire & caligare, adeo ut de magnitudine TUA juſte ponderanda & de opere quodam, obedientiae erga TE meae monumento, erigendo prorſus deſperaverim.

Atque ea de cauſſa nullam TIBI, DOMINE, unquam lucubrationum mearum qualiumcunque inſcribere ſuſtinuiſſem, niſi animum meum & torpentem & proſtratum illa TUA divina virtus erexiſſet, qua duce ac fau-

Digitized by Google

fautrice, laudibus praeconiisque recte judicantium potius esse dignus, & laudabilia facta, quae splendorem per sese diffundunt, perpetrare, quam laudibus justissimis celebrari mavis.

Si porro crediderim, beneficiorum maximorum memoriam, eisque inflammatam pietatem, nec dissimulari posse, nec occultandam esse; tum & experientiam mecum facere existimo, & magistros, qui praeceptis saluberrimis mores animosque hominum formant, arbitror haud dissentiros.

Ingratissimus profecto essem mortalium, nisi ingenua observantiaeque plena mente & fide bona confiterer, gravitatem indulgentiae TUAE, in me exercitae, celebratissimam altissimis in memoria mea radicibus esse defixam, qua me in lucem protraxisti, in clientelam TUAM suscepisti,

nec non DUCIBUS SERENISSIMIS, FERDINANDO ALBERTO, inter deſideria ſuorum morte deploranda intercepto, ac digniſſimo gloria paterna PRINCIPI, CAROLO, HERO MEO CLEMENTISSIMO, ornandum tuendumque me tradidiſti, ac eorum nihil intermiſiſti, quae judicabas mihi fore & ſalutaria & admodum profutura.

Inter otia illa, quae DOMINUS CLEMENTISSIMUS mihi impertire dignatus eſt, et ad quae percipienda TU mihi aditum patefeciſti, ſubnatae fuerunt illae Diſſertationes, ſeu Meditationes, quas in praeſens TIBI offero atque conſecro ea, qua par eſt, veneratione animique ſubmiſſione.

Munuſculum hocce, fateor, eſt perſona, quam praepotens NUMEN TIBI impoſuit, indignum: Eſt illud opinione & TUA & mea vilius: Eſt illud voluntate etiam mea & veneratione inferius. Sed

Sed quum quantulicunque induſtriae meae fructus, PATRONE ILLUSTRISSIME, omnino TIBI debeantur; immaturos & viliores, quam nullos, in conſpectum proferre malui: quos vel ea propter numeri exiſtimabis eſſe nonnullius, quod ei ſunt primitiae *Otiorum*, in ſpem meſſis, ſi fieri poteſt, uberioris excreſcentium: certe pietatis meae, cum reverentia quacunque & ſumma obedientia conjunctiſſimae, pignus & documentum.

Permitte, quaeſo, DOMINE, ut ei, qui in poſterum lucubrationes meas non plane damnaverint, nec ſuffragiis ſuis inhabiles crediderint, cedrum illam non ignorent, cujus ſub umbra gratiſſima ſuffugium habuerim, ac nonnihil horarum variis utilibusque ſcientiis ac diſciplinis valuerim conſecrare.

Supremus rerum humanarum arbiter, Deus, eam mihi, obſecro,

ſemper inſpiret mentem, ut ex quibuscunque liberis vitae meae actionibus, quanta TUA in me exſtiterit indulgentia, & quantum TIBI debeam, luculentisſime pateat et nunquamnon perſpiciatur!

Eumdem ſalutis ſummae fontem et ſoſpitatorem ſempiternum obteſtatione ſupplici precibusque indefeſſis veneror, ut ipſe animi inconcuſſi robur ac oblectamentum TIBI conſervare, ſecundam impertire valetudinem, conſiliis TUIS gravisſimis, quibus publica procuras commoda, benedicere, atque TE TUOSQUE undequaque tegere, munire et ſalute omnigena cumulare dignetur.

Vale, VIR ILLUSTRISSIME, hominique illi, qui TE reſpicit et a TE pendet, favorem TUUM exoptatiſſimum ne ſubtrahas, oro quaeſoque.

Nae ego ſumma ope nitar totoque pectore in id, juvante DEI PRINCI-

PIS-

PISQUE Numine, incumbam, ut illud, quod ſupererit, vitae ſpatium ſalubriter collocaſſe uſuique publico impendiſſe, TUA vero gratia haud prorſus videar exſtitiſſe indignus.

Vale. Dabam Gandershemii, ad Kal. Dec. MDCCXXXIX.

PRAE-

Digitized by Google

PRAEFATIO
AD
LECTOREM.

EX quo Sereniſſimus glorioſiſſimae memoriae DUX, FERDINANDUS ALBERTUS, ejusque Sereniſſimus Succeſſor, Heres, ac Filius natu maximus, DUX incomparabilis, CAROLUS, Dominus meus Clementiſſimus, mihi otia fecerunt, ac quietem a molestiis non unis per gratiam pie concelebrandam conceſſerunt, meum fuit, nunquam minus eſſe otioſum, quam quum maxime eſſem otioſus, eaque occaſione, tum opportuna tum felici, adlectus, rebus ſacris exquirendis propiusque contemplandis animum adpuli temporisque nonnihil conſecravi. Exinde enatae ſunt hae Obſervationes, quas cum orbe litteratiſſimo in praeſens communico, nemini autem obtrudo, aut mente Dictatoria impero. Nihil in ſacroſanctam religionem noſtram in eis peccavi, nihil certe volui peccare. Nihil ab aliis ſum mutuatus, fideliterque auctores fide plenos ad teſtimonium citavi. Obſervationem ſextam ad ductum & ſciagraphiam

phiam beati & quondam Celeberrimi THEODORI DASSOVII elaboravi, cujus manuſcripta maximam partem, exarata a primo ejus exemplo, dudum teneo. Quum vir ille, orientalium rerum peritiſſimus, Viteberga Kiliam demigraſſet, edidit haec Programma, *Anno* M DCCV. in 4. de Manuſcriptis Hebraearum Graecarumque rerum propediem in publicam lucem edendis. *Ordinem, quem ſectione prima, §. 1. de Victimis a ſeſe deſcriptis delineavit, ſecutus, ea de Fertis Muneribusque Sacris ſui commentatus, quae Auctor elaboranda & diſſerenda conſtituerat, ut ſpondere auſim, me non multum a deſtinatione ipſius diſceſſiſſe. Si quis exiſtimaverit, viro beato ejus tractationis gloriam deberi, is me non habebit ſibi reclamantem, dummodo utilitati publicae me crediderit fuiſſe conſultarum. Obſervationem tertiam MALACHIAE de INGEMBERTO, Abbati Ciſtercienſium Romano, cujus eruditionem veneror, judicavi opponendam. Obſervationem octavam tum idem Vir Venerabilis, tum Ven. PETITDIDIERIUS, Gallus, mihi extorſerunt, ne quis putaret, deeſſe nobis adjumenta, quibus veritas Euangelica poſſit propugnari. Obſervationem undecimam oppoſui Ven. JOANNIS LAMII Cata-*

PRAEFATIO.

Catalogo Tritheitarum, quem libro, de Recta Patrum Nicaenorum fide *conſcripto, ſubjunxit. Credidi enim, nihil magis Chriſtiano eſſe dignum, quam amicis & inimicis amorem & judicium amoris veritatisque ſecundum impertiri. In eis, quae ſatis ſunt trita & comperta, longus eſſe nolui. Id potiſſimum multi in hiſce Obſervationibus improbabunt, quod nonnunquam nova & inaudita ſtuduerim proferre. Sed quomodo aliter facere potui, niſi ea, quae millies ſunt chartis mandata publicisque formis deſcripta, reponere & reconcinnare eſſem adgreſſus? Odi enim eos, qui, ut libros edant recentes, refingunt & repetunt veteres. Nec tamen ſingula ab integro detexi ac recluſi. Abſit illa a me jactantia per omnem modum! Si quis non nulla minus probet, ab eo obſervantiſſime peto & contendo, ut modeſte agat, ac ea ſubſtituat, quae ſunt ſolidiora. Argumentis & humanitate fundus rei ſacrae excolitur & fecundatur, rixis & vitilitigationibus contra capit detrimenta ac ſterilitatis maleficia. Dabam, Kal. Dec.* MDCCXXXIX. *Gandersheimii, Deo pro viribus conceſſis pias agens & perſolvens gratias.*

LIBRI NOVI
ALIIQUE
IN OFFICINA
BROEDELETTIANA.

S. Pufendorfii de Officio Hominis & Civis, ſecundum Legem Naturalem, Libri duo. Everardus Otto, Jctus, Repetita Prælectione recenſuit & Adnotationibus illuſtravit. In quibus Utilitas Juris Naturæ in ſtudio Juris Civilis, & hujus in illo abuſus oſtenditur. Accedunt Cl. Titii ad eosdem libros Obſervationes. 8. 2 vol. *Editio nova.* Traj. ad Rhen. 1740. *Auctior & emendatior.*

E. Merillii Tricaſſini Jcti &c. in quatuor libros Inſtitutionum Imperialium Commentarii Principales; Inſtituti Anno M. DCXXXVI. Ætatis Auctoris LVIII. Profeſſionis XXXVI. Quibus adjecta eſt earumdem Inſtitutionum Synopſis, per definitiones & diviſiones, in qua totum earum artificium expanſum eſt. Ex mente & manuſcriptis ejusdem E. Merillii, opera & ſtudio Claudii Mongin, Juris utriusque Profeſſoris, concinnata. Cum Præfatione C. H. Trotz, Jcti. 4. ib. 1739

- - - - Obſervationes & Opera Varia, 4. 2 vol. Neapoli 1720

J. Cujacii Opera Omnia, fol. 11 vol. ib. 1722

J. Odé Commentarius de Angelis, 4. Traj. ad Rhen. 1739

E. Ottonis, de Vita, Studiis, Scriptis & Honoribus Servii Sulpicii, Lemonia, Rufi, Jurisconſultorum Principis, Liber Singularis, ejusdem P. Alfenus Varus, ab injuriis Veterum & recentiorum liberatus. 8. ib. 1737

Theſaurus Juris Romani, continens rariora meliorum interpretum Opuſcula, in quibus Jus Romanum emendatur, explicatur, illuſtratur. Itemque Claſſicis aliisque Auctoribus haud raro lumen accenditur cum Præfatione *Ev. Ottonis.* 5 vol. fol. Ed. Nova.

- - - - - - idem *Charta Regia.*

- - - - - - Tom. IV. & V. nec non Præfationes, novæ Editioni præfixæ, ſeparatim.

Voorda (Jac.) Interpretationes & Emendationes Juris Romani, quibus accedit Ejuſdem Oratio pro Decretalibus Pontificum Romanorum Epiſtolis. 8.

Wachendorf Diſſertationum Trias. I. De Principe legibus ſoluto. II. De Condictione Triticiaria. III. De Pactis Nudis. 8

Relandi Palæſtina, ex monumentis Veteribus illuſtrata. 2 vol. 4. cum fig.

- - - Id. *Chart. Major.*

- - - Analecta Rabbinica. 8.

Nieupoort Hiſtoria Reipublicæ & Imperii Romanorum ab Urbe condita ad A. U. 727. quo Octaviano Cæſari Summa Imperii cum nomine Auguſti delata fuit, 2 vol. 8. cum fig.

- - - Rituum, qui olim apud Romanos obtinuerunt, ſuccincta Explicatio, ſive Compendium Antiquitatum Romanarum. 8. Edit. 4. prioribus auctior, ut proœmium docet.

Millii (Dav.) Catalecta Rabbinica, in Uſum Juventutis verſione & Notis adornata. 8.

Hierophyticon, ſive Commentarius in loca ſcripturæ Sacræ, quæ Plantarum faciunt mentionem, diſtinctus in duas partes, quarum Prior de Arboribus, Poſterior de Herbis dicta complectitur, auctore *M. Hillero.* 4

Muelen (W. van der) Exercitationes in Titulum Digeſtorum de Juſtitia

&c

Digitized by Google

& Jure, & Hiſtoriam Pomponii de Origine Juris, & omnium Magiſtratuum, & ſucceſſione Prudentium. 4

Joſephi (Flavii) Opera Omnia Gr. & Lat. cum notis & nova Verſione J. Hudſonii & integris E. Bernardi J. Gronovii, Fr. Combefiſii. J. Sibrandæ, H. Aldrichii & ineditis J. Cocceji, E. Spanhemii, A. Relandi & aliorum, curante Sig. Havercampo, 2 vol. fol.

Cluveri (Philippi) Introductio ad Univerſam Geographiam, tam veterem ac novam, Tabulis æneis Illuſtrata, acceſſit P. Bertii Breviarium Orbis Terrarum. 12

Sapphus Fragmenta & Elogia, cum Virorum Doctorum Notis integris, cura & ſtudio Jo. Chriſt. Wolfii, qui Vitam Sapphonis & Indices adjecit. 4. Londini, 1733

- - - Idem *Ch. Major.*

Poetriarum Octo Fragmenta Gr. & Lat. cum Notis Var. & Wolfii. 4. Hamb. 1734

- - - Idem *Ch. Major.*

Bibliotheca Aproſiana, Cum Præfatione Wolfii. 8. Hamb. 1734

Contes & Nouvelles de Marguerite de Valois, Reine de Navarre; mis en beau langage, accomodé au gout de ce temps, & enrichi de figures en Taille douce 2 vol. 8. *Nouvelle Edition. A Paris* 1740

Nouvelle Bibliotheque des Auteurs Eccleſiaſtiques, contenant l'Hiſtoire de leur Vie, le Catalogue, la Critique, & la Chronologie de leurs ouvrages, le ſommaire de ce qu'ils contiennent, un Jugement ſur leur ſtyle, & ſur leur doctrine; & le denombrement des differentes editions de leurs Oeuvres par Mre. L. E. Du PIN, Docteur en Theologie de la Faculté de Paris, & Profeſſeur Royal, Nouv. Ed. Corrigée & augm. 21 *Tomes* 4. *Compl.* 1731

- - - *le même, chaque Tome ſeparé.*

Entretiens dans leſquels, on Traite des Entrepriſes de l'Eſpagne, des Prétentions de M. le Chevalier de S. George & la Renonciation de ſa Majeſté Catholique. 8. 1732

Comedies de Plaute, traduites en François par Mad. le Fèvre, avec des Remarques & un examen, ſelon les Regles du Theatre. Dern. Ed. avec l'Original Latin, & des figures 12. 3 *vol* 1730

- - - *Grecques d'Ariſtophane, traduites en François, avec des notes critiques & un Examen ſelon les regles du Theatre par Mad. Dacier.* 12

Le Je Ne Sai Quoi par Mr. Cartier de St. Philip. Nouv. Ed. Revuë & augm. Conſiderablement. 12. 2 *vol.* 1730

Les Victoires de l'Amour ou hiſtoire de Zaïde de Lemur & de la Marquiſe de Vico. 12. 1732. *avec fig.*

Exiſtence & la Sageſſe de Dieu, manifeſtées dans les Oeuvres de la Creation par le Sieur Ray. 8. 1728

Sibersma Caractere du vrai Cretien & le moïen de le devenir en forme d'Entretiens, entre Elie & Chriſtophile. 8. 1730

Bauvoiſt Catechisme des Communians. 8

- - - *Triomphe de la Verité & de la Paix, ou Reflexions ſur ce qui s'eſt paſſé de plus important dans le dernier Synode, au ſujet de Meſſ. Saurin & Martin.* 8. 1732

Hiſtoire & Avantures des plus fameux Pirates Anglois, entre leſquels il y a deux Femmes Pirates tres celebres Marie Read & Anne Bonny. 12

Pleyier over de Handelingen der H. Apoſtelen, 4. 4 deelen 2de druk. *doorgaans vermeerdert en verbeterd.*

- - - - - - 3de en 4de deel elk apart.

- - - over de brief van Paulus aan de Galateren, 4. 2 deelen.

Lampe, Balſem uit Gilead, tegens aanſtekende ſiekten; ter gemeener ſtichting, by deſe gevaarlyke tyden medegedeelt. 2de *druk vermeerdert met een Gebede, en een Predikatie over Pſalm* CXIX. *vers* 175. 8

Placette Chriſtelyke Zedekunſt. 8. 2 *deelen.*

Utrechtſche Conſiteaten, 2de *deel in* 4.

J. Verſchuir bevindelyke Godtgeleertheit, 4. 3*de druk vermeerdert met een Heilige Oeffening of alleenſprake der ziele, door deſelve Author.*

Digitized by Google

ENGLISH BOOKS,

to find

BY JOHN BROEDELET

At very low prices.

W. Gouge Commentary upon the Epiſtle to the Hebrews, fol. Lond. 1655
W. Atterſol in Numbers, fol.
Hiſtory of the Catholick Church, fol. Hague 1672.
W. Fulke on the New Teſtament, fol.
N. Byfield on the Colloſſians, fol.
- - - - upon the three firſt Chapters of the firſt Epiſtle of St. Peter, fol.
R. Stock and S. Torshell upon Malachy, fol.
R. Bernard Theſaurus Biblicus, fol.
J. Barlow Expoſition of the 2th Epiſtle to Timothie, fol.
The Sermons of Mr. Samuel Hieron, fol.
Ob. Sedwick the Bowels of tender mercy Sealed in the Everlaſting Convenant, fol.
A. Burges CXLV. Expoſitory Sermons upon the 17th Chapter of St. John, fol.
- - - Spirituall Refinings, fol.
The Works of Robert Harris, fol.
- - - of Elnathan Parr. fol.
The Back Parts of Jehovah, &c. fol.
The Holy Bible, with the book of Common Prayer, 4
R. Turnbull upon James, 4
Funeral Sermons, 4
R. Maiden Chriſts Love and affection to Jeruſalem, 4
W. Sclater on the Theſſalonians, 4
R. Holsworth the Valley of Viſion, 4
H. Airay Lectures upon the Epiſtle to the Philippians, 4
E. Reynolds three Treatiſes, 4
- - - Explication of the CX Pſalm, 4
The ſoules Preparation for Chriſt, 4
S. Benefield upon Amos. Lake Probe Theologicall. and Dod & Cleaver Sermons, 4
D. Collins Epphata, 4
J. Preſtons Sermons, 4
- - - - the new Convenant, and the Breaſt-love of faith and Love, 4
Ed. Topſel on Joel, 4
Thomaii Dictionarium, 4
D. Dyke two treatiſes, and other Sermons, 4
J. Welles the ſoules Progreſſe to the Celeſtiall Canaan, 4
W. Strong XXXI. Sermons, 4
Cotton Concordance of the Bible, 4.
- - - the way of Life, 4
W. Guild the Throne of David, 4

ENGLISH BOOKS.

Th. Hooker the ſoules effectual Calling to Chriſt, 4
- - - upon Chriſt's Laſtprayer John XVII. 4
- - - Application of Redemtion, 2 vol. 4
Th. Taylor the Progreſſe of Saints to full Holineſſe, 4
- - - - Chriſts Combate and Conqueſt, 4
- - - - the Parabel of the Sower and of the Seed, 4
- - - - Chriſts Victorie over the dragon, 4
A. Groſſe Sermons, 4
W. Gurnall the Chriſtian in Compleat Armour, 2 vol. 4
Rogers Practicall Catechiſme, 4
- - Strange Vineyard in Palæſtina, 4
W. Bridges Works, 4
H. Ramsden a Gleaning in Gods Harveſt, 4
Sibbs the Returning Backslider, 4
J. Burroughs the Saints Happineſſe, 4
Parliament Sermons, 5 vol. 4
R. Sanderſon XII. Sermons, 4
H. Smith Sermons, 4
J. Rogers Ohel or Beth-ſhemeſh, 4
Bolton foure laſt things, 4
Hammilton generall demands concerning the late Covenant, 4
The Holy Bible, 8
Sam. Ward Sermons, 8
J. Goodwin Saints Intereſt in God, 8
E. Reyner Precepts for Chriſtian Practice, 8
Naphtali, or the Wreſtlings of the church of Scotland for the kingdom of Chriſt, 8
J. Caryls Sermons, 8
R. Sibbs the Soules Conflict and Victory, 8
- - - the bruiſed Reed and Smoaking flax, 8
Taylor the Principles of Chriſtian Practice, 8
- - - Circumſpect walking, 8
- - - Three Treatiſes, 8
The true Non-Conformiſt, 8
Chishull two treatiſes, 8
Burroughs Excellency of a Gracious Spirit, 8
- - - Saints Inheritance and the wordlings Portion, 8
- - - Moſes Self-Denyall. 8
A Paſtors Legacy, 8
Z. Bogan a view of the Threats and Punishments, 8
Wolfall the Doctrine of Mortification, 8
Lockyer Chriſts Communion with his Church, 8
Hugh Binning fellowship with God, 8
- - - - Principles of the Chriſtian Religion, 8
Durant Diſcovery of Glorious Love, 8
J. Exon Remedy of Prophaneſſe, 8
The Way to Salvation, 8
Showers devout reflections on time and Eternity, 8
T. Brooks Apples of Gold, 8
- - - Arke for all Gods Noahs in a gloomy Stormy day, 8
de Witte Catechizing, 8
T. Watſon Saints Delight, 8
- - - Chriſtians Charter, 8
E. Calamy the Godly mans Ark, 8
F. Roberts Communicant Inſtructed, 8
Durant Comfort for dejected ſouls, 8
Robinſon Chriſt all in all. 8
- - - Chriſt the Perfect Patern, 8

Dyke

Digitized by Google

ENGLISH BOOKS.

Dyke Righteous mans Converſation, 8
- - Worthy Communicant, 8
S. Smith the great Aſſiſe, 8
Durham Treatiſe of Scandal, 8
New Teſtament, 8. London 1700
Spare Houres Improv'd in Meditations, 12
Woolſtons Works, 5 vol. 8. London 1729
Scripture Politics by Sam. Croxall, 8. ib. 1735
The British Compendium, 12. ib. 1723. with cuts.
The Royal Dictionary abridged. In two parts. I. French and English. II. English and French by Mr. A. Boyer, 8. ib. 1728
Dictionary English, German and French by Mr. C. Ludwig, 4. 2 vol. Leipz. 1706
A New French Grammar by M. A Boyer, 8. Rott. 1728
Hiſtory of the Treaty at Nimeguen, 8. London 1681
The Life of John, Duke of Marlborough, illuſtrated with maps, Plans of Battles, Sieges and medals, and a great Number of original Lettres and Papers never before published, By Th. Lediard, 8. 3 vol. ib. 1736
Th. Lediard the Naval Hiſtory of England, in al its branches; from the Norman Conqueſt in the year 1066. to the Concluſion of 1734. fol. 2 vol. ib. 1735
New Grammar English and French, 8. ib. 1734
Voyage of John Struys, 4
Philoſophical Tranſactions div. vol. 4
Nouvelle Grammaire Angloiſe Francoiſe par G. Miege, 8. Rott. 1732
Sewel Compendious Guide to the Low-Dutch Language, 12. Amſt. 1725
- - - - - - - - to the English Language, 12. ib. 1724
- - - Dictionary English and Low-dutch, 4. 2 vol. ib. 1727
Mr. *Pope*'s Tranſlation of Homer's Iliad, with Notes, & fine cuts, &c. 6 vol. 8
- - - Homer, without Notes, 2 vol. 8
- - - Poems & Miſcellanies complete, 8
Milton's Paradiſe Loſt, with fine new cuts, 8
- - - - - - regained, & other Poems, 8
Notes on Paradiſe Loſt, by Mr. Addiſon, 8
Mr. Addiſon's Poems, Tranſlations, Dialogues on Medals &c, 2 vol. 8
Mr. Prior's Poems compleat, printed from the folio edition, with additions, 8
The Duke of Buckingham's Works, 2 vol. 8
Lucan's Pharſalia, tranſlated by Mr. Rowe, 2 vol. 8
Bp. Burnet's Hiſtory of his own time, 6 vol. 8
The Same on large paper. 6 vol.
The Scheme of Literal prophecy, &c. in defenſe of a Diſcourſe of the Grounds & reaſons of the Chriſtian Religion, 2 vol. 8
Chriſtianity as old as the Creation; or the Goſpel a republication of the Religion of Nature, 8
The Travels of Cyrus, a new edition corrected, by Sr. A. Ramſay. 8
The ſame in Freneh & English, 2 vol. 8
A Guide for English Travelers in Holland. 8
The Works of Shakeſpear, 8. 9 vol. London 1728
English Plays.

LIBRI ITALIANI.

Architectura Militari di P. Sardi, fol. Ven 1618
A Petrucci Prodromo Apologetico alli ſtudi Chircheriani, 4. Amſt. 1677
Opere Critiche edit: di L. Caſtelvetro, 4. Lione 1727
L'Eneide di Virgilio, del Commendatore A. Caro, 4. Verona 1728
Il Paſtor Fido, Tragicomedia Paſtorale del molto illuſtre Signor Cavaliere B. Guarini, 4. Londra 1728
Satire di Aulo Perſio, 4. Firenze 1726
Filli di Sciro Favola Paſtorale del Conte G. Bonarelli, 8. Londino 1728
Delle Satire e Rime del divino L. Arioſto Libri II. Con le Annotazioni di F. Rolli, 8. Amburgo 1732
Roſmunda Tragedia di M. Giovanni Rucellai, 8. Padova 1728
Stanze di A. Poliziano, 8. ib. 1728
Parere intorno all' Antico ſtato de Cenomani ed ai loro Confini del Canonico P. Gagliardi Breſciano, 8. Padova 1724
Le Rime d'Angelo di Coſtanzo, 8. ib. 1728
Stato Militare dell'Imperio Ottomanno, incremento e decremento del Medeſimo, del Signore Conte di Marſigli, fol. 2 parte Haya 1732
Maſſime Politiche del Prencipe per il governo dello ſtato, e per il maneggio della Guerra. Oue ſi parla della Politica dell' Inquiſizione. Aſtratto dai migliori Autori Claſſici per N. Ciangulo, 8. 1728
Del Teſoro Brittanico Delineate e Deſcritte da N. F. Haym Romano, 4. 4 tom. Londra 1719
Aminta di Torquato Taſſo, 12. Utr. 1725
Ateneo dell' Uomo Nobile, di Ag. Paradiſi, fol. 2 tomi Venezia 1708
Galateo di Giovanni della Caſa, 8. Padova 1728
Leti Theatro Gallico, 4. 7 Parte Amſt. 1691
Maſſime ed Eſpreſſioni di Civile, ed Eccleſiaſtica Prudenza, Scritta dal Cardin. Pallavicini, 8. Roma 1713
Notizia de Libri Rari nella Lingua Italiana, 8. Londra 1726
Storia e Sentimento dell' Abbate Toſini ſopra il Gianſenismo nelle preſenti Circonſtanze della chieſa alla Santita di N. S. Papa Clemente XI. 12. 3 Tomi Concordia 1717
Dittionario Italiano Franc. Tedeſco di A. Udino, 8. 3 tomi.
- - - Italiano & Franceſe de Veneroni, 4. Amſt. 1729
Opere di Nic. Machiavelli, 12. 4 tomi Haya 1726
- - - di Moliere, tradotte da Nic. Caſtelli, 12. 4 tomi Lipſia 1698. con fig.
Il Prodigio della Natura, e della Gratia Poema Heroe-ſtorico. Sopra la miracoloſa Intrapreſa d'Inghilterra, del Real Prencipe d'Orange &c. Nel fine dell' Anno 1688. di G. Leti. Arrichito di molte belliſſime figure, 4. Amſt. 1695
La Zampogna del Caval. Marino, 12
Dictionaire François Italien François, ſuivi d'un autre Dictionaire Latin Francois Italien, 8. 3 tom.
Veneroni Maitre Italien, 8
Aventuras de Telemaco, Hijo de Uliſſes, por El Senor Arcobiſbo de Cambray, 12. la Haya 1713

OBS.

Digitized by Google

OBSERVATIO I.

DE CIBO
JOHANNIS BAPTISTAE;

In ſolitario commorantis loco, ad loca Matth. III. 4. Marc. I. 6.

SYNOPSIS.

§. I. Ἔρημος, מדבר quid?
§. II. *Johannes duriter, ac parce vixit, fuitque Naſiraeus.*
§. III. *Jo. Oldermannus & Herm. de Hardt ἀκρίδας expoſuerunt per ſiliquas Syriacas.*
§. IV. *Quorum ſententia refellitur.*
§. V. *Naſiraei ſeſe non abſtinuerunt ab edenda carne.*
§. VI. *De locuſtis & cicadis diſſeritur, quas Johannes edit.*
§. VII. *Johannes edit carnem.*
§. VIII. *Johannes haud edit locuſtas marinas.*
§. IX. *Refelluntur aliae ſententiae earumque fons detegitur.*
§. X. *De melle apum.*
§. XI. *De melle aëreo ſeu manna.*
§. XII. *De melle arboreo.*
§. XIII. *Johannes edit mel arboreum.*

§. I. Quum Johannes ſeſe ac cogitationes ſuas ex ſolido addicturus eſſet Numini ſupremo, ipſe ſe in locum contulit, quem ſcriptor divinus vocat ἔρημον, ſubaudi μοίρην. Solitudinem, a pecoribus hominibusque

busque prorsus vacuam, per haſce voces, ἔρημος & מדבר, intelligere haud licet. Vox מדבר ortum traxit ex voce דבר, per quam Ebræi veteres notabant actum *ducendi* ac conatum *agendi ad paſtionem*. Unde illico perpendentibus originationem innoteſcit, deſignari locum gramine obſitum, accommodatiorem ovibus paſcendis quam exſtruendis domibus. Quod ipſum patet ex Luc. I. 80. 1 Sam. XVIII. 28. Pſ. LXXV. 6. Luc. XV. 4. Ad poſtremum locum egregia exſtat Cel. quondam Theodori Haſæi commentatio, bibliothecae Bremenſi inſerta. Loca ejuſmodi ἔρημα erant plerumque aridiora. Ex locis illis ſiccis humanoque cultu frequentari haud ſolitis flumina laetiſſima eſſe emanatura ac inde vocem Evangelii nuntiatum iri, vates divini, ſtante foedere priori, quondam praedixerant. Ea Praenuntiatio fuit expleta & effectui data, quum adhortationes Sacras Johannes & Chriſtus ex locis illis ad homines emitterent, miſeroſque & animi inopes ſolatio divino ſuſtentarent ac perfunderent. Qui Johannem exiſtimant ſeſe domicilio incluſiſſe ſolitario ac anachoretis exemplum praeiiſſe, quod ipſis ex uſu & imitandum eſſet, ei tum ſeſe, tum alios fallunt. Nulla enim nec vola, nec veſtigii nota in laudatiſſima Johannis vita occurrit, unde illi vitae anachoreticae ſuffragia ulla adſciſci poſſint. Fruſtra idcirco Tabenneſiotae, Monachi, Aegyptii, exemplum Eliae Thisbitae ac Johannis aemulari (*) in hoc aliisque momentis conabantur.

§. II. Johannes, frugalitatis exemplum ſuppeditaturus, veſci voluit in loco remotiori cibis viliſſimis,

(*) SOZOMENUS *Hiſt. Eccl.* III. 13. GURTLERUS in *hiſtoria templariorum* p. 153. ſq.

Digitized by Google

nis, ſalubribus, maximeque parabilibus. Aqua ipſi erat loco potus; cibus erant *ἀκρίδες*, *locuſtae*, ac *mel agreſte*, *μέλι ἄγριον*. Nequid ſuperſit dubitationis de hocce cibo, momenta nonnulla ſunt praemittenda. Et primo quidem conſtat, Johannem ſtuduiſſe vitae admodum durae & auſterae. Ipſe imitabatur indolem Eliae ſatis duram & ab omnibus deliciis diſiunctam. Ac ipſe Chriſtus de ejus duro victu teſtis eſt locupletiſſimus, hunc in modum Matth. XI. 18. *Johannes venit, qui non edit nec bibit.* Comparationem hic ſoſpitator optimus inſtituit inter victum ſuum ac Johannis victum. Jeſus edebat ea, quae ipſi adponebantur. Ipſe ſeſe a vino modice adhibendo haud abſtinebat. At Johannes inde ex utero matris ac ab ineunte aetate erat Naſiraeus, abſtinens vini, potuſque cujuslibet, ebrietatem inducentis. Luc. I. 15. Dum eum adpello Naſiraeum, eo ipſo ſignificandum arbitror ac demonſtratum eſſe exiſtimo, Johannem a ſingulis illis rebus abſtinuiſſe, quorum uſus, cibus, & potus in victum Naſiraeorum haud cadebat. Naſiraeus enim fugitans erat vini cujuſcunque, tum ſimplicis, tum mixti, quare nihil ſumebat in cibum vel potum de baccis uvarum, de acinis, de nucleis acinorum, vel de aceto, quod ex vino erat factum. Naſiraeus ſibi temperabat a vinis melle dilutis, a vino palmeo, ac eis potuum generibus, qui cerebrum turbare ac ebrietatem conciliare poterant quacunque tandem ratione. Codex Miſchnicus, *Naſir* dictus, VI. 1. 2. MAIMONIDES in libello de *Naſiraeo*, ac *Bernardi Sebaſtiani* CREMERI *Naziraeus ſeu Commentarius literalis & myſticus in legem Naziraeorum* ad Num. VI. 1. Jud. XIII. XVI. &c. Am-

ſtelodami (*) a. 1727. 4. emiſſus, omnino conferri poſſunt.

§. III. Joannes Oldermannus, Hermanni van der Hardt ex ſorore nepos, in praelectionibus ſuis ad Matthaeum cum cura concinnatis nec adhuc in lucem publicam emiſſis, in eo eſt totus, qui nobis perſuadeat, intelligendas eſſe per *ἀκρίδας ſiliquas Syriacas*, quas vulgo in pharmacopoliis vocant *panem Johannis*. Siliquarum illarum meminit Plinius H. N. XIV. 16. & ex eis vina fieri commemorat. Copioſe de eis diſſeruit Salmaſius in Exercitationibus Plinianis. Amos propheta edit haſce ſycaminorum ſiliquas, שִׁקְמִים, cibum utpote perquam parabilem & viliſſimum. Sycaminae, arbores in Judaea frequentiſſimae, fructus proferunt, quos Palaeſtini חרובין vocarunt, Latini ſiliquas, Graeci κέρατα & κερατώνια. Hiſce fructibus veſcebantur homines oppido egeni aeque ac porci, quos eis ſaginare ſolent Palaeſtini: quod ipſum ex verbis Chriſti Luc. XV. 16. conſtat. Syrus ibi κεραζώνια reddidit per ܚܪܘܒܐ. Ei, qui ex Oriente per mare mediterraneum merces in Europam advehunt, loco oneris acervant ſaepius in carinas potiſſimum hunc panem Johannis. quam ob cauſſam ſiliquae Syriacae in pharmacopoliis noſtris exiguo proſtant pretio. Cotovici locum adſcribam, ut ei, qui in notitiam harum dapium nondum venerunt, notionem ſibi qualemcunque exinde efforment animoque ingerant. Ipſe Cotovicus edidit Itinerarium Hieroſolymitanum & Syriacum, ſatis rarum, quod primo quidem in lingua Belgica, paullo

(*) ACTA *Eruditorum Lipſ. germanica* P. 139. art. 4. p. 492. ſqq.

lo autem poſt Antwerpiae prodiit latine translatum in forma, quam vocant quartam, anno 1619. In eo haec leguntur p. 92: *Sunt Charnubi arbores ingentes ac late expandentes ramos, foliis, lauro non abſimilibus, latioribus tamen, nec ita acutis, ſemper virentibus* ac laetam indigenis *aeſtivo tempore praebentibus umbram: feruntque fructus, quos nos ſiliquas, Graeci* κερατώνια *adpellant, humano digito nonnihil longiores, falcata ac pollicari latitudine, praedulces & gratos palato amaro & duriſſimo. Horum cortex ſemine rejecto manditur, ſuccum etiam ex eo exprimunt praedulcem & ad cibos condiendos optimum.* Ac pauculis interiectis pergit idem: *Juxta littus cernas ſiliquarum congeries, inſtar montium coacervatas, quibus naves quandoque integras onerant. Ob maximam vero horum fructuum ubertatem viliſſimo conſtant pretio, & animalibus in cibum cedunt, quae his tanquam gratiſſimo pabulo ſaginantur.* Fructus hoſce, alias κερατώνια dictos, vero per ἀκρίδας eſſe intelligendos, docet & contendit Oldermannus. Rationes vero, ut dictis ſuis fidem faciat, ita ſubducit. Id ſumit ſtatim, quod alii fortaſſis infitias eunt, credens, locuſtas temporibus rarioribus ac extraordinariis in Palaeſtina fuiſſe parabiles & inveniri ſolitas. Locuſtas adnumeratas fuiſſe carnibus, monet, idque ut eo firmioribus conficiat argumentis, ad Joannis Lightfooti in hunc locum commentarios confugit. Adjungit idem, Naſiraeos ſibi temperaſſe, quo minus ederint carnes. Et quis tandem cibus fuit ſiliquis ſycamini in Palaeſtina parabilior, vilior, ſimplicior, & ſalubrior? Haec ſunt illa argumenta, quibus beatus ille Oldermannus, celeberrimus fane & ſolidiſſimus Philologus meuſque quondam praeceptor, locuſtas dimittit ac eis ſiliquas illas ſubſtituit, ratus, ſiliquas quoque illas vocari ἀκρίδας.

ſac. Hermannus van der Hart, ſenex venerabilis, interpres ſacri codicis παραδοξόφιλος, compoſuit quondam obſervationes quasdam, e novo Teſtamento Syriaco conflatas, queis credidit expoſitionem ſenſus ipſius ſacri admodum adjuvari ac luce haud exigua perfundi. Obſervationes haſce communicavit cum auditoribus, eaeque in multorum manibus dudum verſatae fuerunt. Ipſe ad vocem Syriacam ſeſe recipit, qua ἀκρίδες fuerunt deſignatae, ratus, חרובין ac *ſiliquas ſycamini* plane convenire, ſenſus reſpectu. In hac igitur expoſitione Hartius ac Oldermannus concinunt ac ſibi mutuo congruunt, licet alioqui poſterior priorem judicio admodum praeſtaret ſaepiuſque refelleret.

§. IV. Honorem manibus meritiſque uniuſcujusque habendum eſſe, arbitror. Nec mihi res eſt cum perſonis, qui argumentis ipſis excutiendis immorari ſtudebo. Illud in primis urgeo, quod locuſtae a Graecis vocentur vulgari ac receptiſſima denominatione ἀκρίδες. Graeci eos, qui in Aethiopia victitabant locuſtis, adpellabant ἀκριδοφάγους, *acridophagos*. Herculem Oetaei quondam dixere Κορνοπίωνα ſeu *Cornopionem*, ἀκρίδων χάριν, *locuſtarum cauſſa*. Ipſe enim credebatur eos a locuſtis liberaſſe, quas ipſi *cornopas* adpellaverant. Refert haec STRABO L. XIII. p. 613. POSIDONIUS memoriae prodidit, in Aethiopia ſaepius propter ſiccitatem exiſtere peſtes lacusque exoriri caenoſos, καὶ τὴν ἀκρίδα ἐπιπολάζειν, *& locuſtarum gigni copiam*. Laudavit haec STRABO L. XVII. p. 830, nec tamen adprobavit prorſus. AELIANUS locuſtas pariter adpellavit ἀκρίδας, commentatus de *Animalibus* L. X. c. 13. Sed nemo de adpellatione hac dubitat, nemo eſt, qui haeſitat. Eadem convictione docere

ausim, vocem Syriacam קַקְלָא ratione significatus haud discrepare a locustis. Testor loca bene multa tum veteris tum novi foederis, in quibus de locustis fiunt verba. Testor locum commemorabilem Luc. XV. 16, in quo *siliquae sycamini*, κεράτια, citra ullam contradictionem occurrunt. Si Syri siliquas hasce vocarent *Kamze*, tum sane nulla praesto foret ratio, cur ea vox a loco tam luculento tamque claro abesset? Syrus vero interpres in loco Lucae, qui prae manibus est, vocem, Palaestinis notissimam tritissimamque, חרובא habet. Judaei, & Talmudici, & qui hodieque supersunt, arborem siliquam ejusque fructus vocant חַרוּבִין. Exempla collegit *Joannes* BUXTORFIUS in *Lexico Talmudico* p. 821. Omitto Arabas gentesque Judaeis confines, quibus eadem vox est in usu, & a quibus ad eamdem rem designandam adhibetur. Judaei nostrae regionis vocant siliquas hasce *Bocksharn* a figurae similitudine, nec non *S. Johannis Brods*. Qui nuper Halis Venedorum evangelium Lucae in linguam Judaeorum teutonicorum vulgarem transtulerunt, vocem Judaeis receptam & exacte respondentem Graecae haud valuerunt adtingere. Vox enim *Hülsen* universalis est nimium, nec rei ipsi declarandae sufficit, licet omnino ea possit ferri. At quam vellem loca videre, e scriptoribus Graecis depromta, in quibus ἀκρίδες sint idem ac siliquae sycamini.

§. V. Nasiraeorum num fuerit, a carnibus sese abstinere, id quidem potest inquiri. Distinguendum existimo inter Nasiraei munia ac officia, quae Nasiraeatui adhaerebant, ac porro inter vota, quae hic vel ille non propter partes nasiraeatus explendas, sed aliis rationibus satisfacturus, nuncupavit. Vota enim concipere poterant Judaei tum de suscipiendo

naſiraeatu, tum de aliis rebus vitandis, quae in vita communi ſumere & adhibere licebat. Naſiraeus a carne haud abſtinebat, niſi praeterea aliud quoque nuncupaſſet votum de carne, in poſterum haud edenda, vel ad perpetuas futuri temporis decurſiones, vel ad certum duntaxat tempus.

§. VI. Locuſtae aliae fuerunt praeſtantiores ac deliciis epularum propriae; aliae e contrario exſtiterunt vulgares ac obviae, quas nulli Zephyri advexerunt extraordinarii, ſed quas tota aeſtate & autumno captare erat moris. Priores ſunt rarae ac in Palaeſtina haud quovis tempore frequentes. STRABO L. XVI. p. 772. commemorat *acridophagos*, gentem Arabiae, locuſtis in Arabia viventem, quas Zephyri vehementiores in illa loca compellant. Incolae eas facili capiunt ſubiguntque arte. Ipſi enim fumum excitant denſum ac tenebras obducentem, ea fini, ut locuſtae ex aëre decidant & humi captentur. Eadem propemodum refert DIODORUS *Siculus* L. III. c. 29. Conferre poſſunt ei, qui otio abundant, PLINIUM H. N. XI. 29. ALVAREZIUM c. 32. *Adamum* NEUHOFIUM in *deſcriptione Sinae* p. 377. *Olverii* DAPPERI *Africam* p. 317. Sapor locuſtarum illarum majorum ac praeſtantiorum haud abhorret a ſapore, quem pulli columbini ac harengae praebent. Complura congeſſit *Jobus* LUDOLFI in *Commentario ad hiſtoriam Aethiopicam*. p. 168. ſq. licet ei non ſubſcribam, ſimulac per שלוים intelligit easdem locuſtas. In praeſens obſervaſſe lubet, locuſtas a cicadis differre, illas eſſe majores & extraordinarias, haſce vero minores & ordinarias: utrasque vocari ἀκρίδας: utrasque in Oriente fuiſſe in cibum adhibitas. PLI-

NIUS

NIUS de cicadis haec habet (*): *gentes vescuntur iis ad Orientem, etiam Parthi opibus abundantibus.* De locustis idem haec inter alia refert (**): *Parthis & hae in cibo gratae.* Ἀκρίδες sunt & locustae & cicadae, sub voce generali (***) contentae. Quod simulatque concesserimus, scrupulus omnis fuit exemtus ac haesitatio omnis conquievit. Nec est quod credas, Judaeos a quibusvis locustis ac cicadis edendis debuisse se abstinere. MAIMONIDES enim distincte de eis commentatur, secutus doctrinas doctorum Mischnicorum, in libro de *cibis vetitis* c. I. §. 21. Locus ipse explicatu est satis arduus ac perdifficilis. Dabo in praesens translationem, quam Cl. Marcus Woldike adornavit. In ea sic legimus p. 19. sq. *Species cicadarum, quibus vesci permisit Lex, sunt octo, videlicet istae:* (1) *cicada cercops*, (2) *species cicadae, quae est* הדוכנות, (3) *acheta*, (4) *species achetae, quae est* עוצרניא, (5) *locusta*, (6) *species locustae, quae est* צפורת כרמים, (7) *attelabus*, (8) *species attelabi, quae est* יוחנה ירושלמית. De achetis haec differit Plinius XI. 26. *Quae canunt, vocantur achetae: & quae minores ex eis sunt, tettigoniae. Sed illae magis canorae.* Minorem speciem Judaei vocarunt עוצרניא, ex coërcitione ac constrictione soni motusque. Attelabi a nonnullis in numerum cicadarum referuntur, quos tamen alii exinde eximunt. THEOPHRASTUS in libello de animalibus haec habet: χαλεπαὶ μὲν αἱ ἀκρίδες, χαλεπώ-

(*) H. N. L. XI. c. 26.
(**) H. N. L. XI. c. 29.
(***) *Cicadas cercopes* Strabo vocavit ἀκρίδας L. XIII. p. 613.

πώγωνος δὲ οἱ ἀττέλαβοι, καὶ τούτων μάλιστα, ὃς καλεῖται βρόγχος. *Noxiae quidem ſunt cicadae, difficiliores autem attelabi, & horum maxime, quos vocant bronchos.* Ex hoc loco id rurſus pateſcit, cicadas vocari ἀκρίδας. Cicadas cibo aptas ac licitas Miſchnici Doctores paſſim commemorant. Confer, ſi dubitas, codicem *Cholim VIII.* 1. Cicadas mundas a Talmudicis deſignari, ac ab immundis diſcerni, intelligimus ex duobus locis, quae Cl. *Chriſtianus* SCHOETTGENIUS in *Horis ad Matthaeum* p. 5. adtulit. Non vacat in praeſens percenſere articulos illos, ſecundum quos locuſtae ac cicadae purae ab impuris diſcreparunt. Maimonidem adeant curioſiores quaeſo, qui diſcrimen illud, quod puras inter & impuras cicadas ex mente veterum Judaeorum interceſſit, exponere ac planum facere ſtuduit. Si ſtamus teſtimonio diviniorum litterarum, quod Lev. XI. 21. perſcriptum legimus; tum locuſtarum ac cicadarum illarum eſus Judaeis fuit permiſſus, quae non habent crura longiora ſeu malleolos ſuper pedes ſuos. Unde facili opera illud cogi efficique ſentio, haec crura in locuſtis cicadiſque licitis infra pedes reliquos locum ſuum habere. Optime Cl. MARCUS WOLDIKE ex accurata experientia & cicadarum contemplatione demonſtrat (*), adnaſci haec crura locuſtis infra reliquos pedes, ita ut a coxis ſedentium pedes includantur, genuaque, non vero coxarum capita, tangant. Muſcae, aves, veſpae, crabrones, bruchi, ac alia inſecta, crura ejuſmodi in priore corporis parte geſtant. Utrumque docet quoque ARISTOTELES (**). MAIMONI-

(*) Loco laudato p. 21. in notis ad Maimonidem.
(**) De *Part. Animal.* L. IV. c. 6.

Digitized by Google

NIDES conciſe (*): *Quisquis harum ſpecierum*, quibus conſtat numerus cicadarum mundarum, *nominumque bene peritus fuerit, ille iis, ſine longa ſignorum indagatione, veſcitur. Immo & venatori de iis fides habetur, velut de avibus. Si quis autem minus accuratam* de locuſtis *notitiam habet, is ſigna inquirat. Dignoſcuntur vero locuſtae tribus hiſce notis: quaecunque locuſta quatuor inſtructa eſt pedibus, & quatuor alis, quae pleramque partem longitudinis & pleramque partem ambitus ejus veſtiant, & praeterea cruribus duobus praedita eſt, quibus ſaliat, ecce illa ad mundas ſpecies referenda eſt, quamvis etiam capite oblongo caudaque informis ſit, ſi nomine* חגב *adpellatur, munda eſt. Cui Locuſtae nondum enatae ſunt alae, nec ea cruribus ad ſaliendum inſtructa eſt, aut cujus alae nondum majorem corporis partem tegunt, ſed ipſa tamen uberius incrementum promittit, alis acceſſurum, ubi ipſa creverit, ecce illa jam tum eſt licita.* R. OBADIAS BARTENORIDES in *Commentario ad codicem Miſchnicum Chullin* c. 3. §. 7. ſequitur lectionem, Lev. XI. 21. in margine adſcriptam, quam *Keri* vocamus. Sed ea refragatur experientiae, ideoque eſt dimittenda, tanquam lectio varians Maſoretica minoris momenti. Johannes certe Baptiſta, ſacerdotis filius, procul dubio habuit compertiſſimum, quid diſtarent cicadae purae cicadis impuris. Miſeremur Judaeorum, qui pleraque immundarum rerum momenta ignorant, nihiloque ſecius rempublicam ſuam veterem inſtaurare ſitienter elaborant & exoptant.

§. VII. Si qui, Johannem, extra Hebronem in locis montanis finitimiſque verſatum, jejunii genus exer-

(*) De *Cibis vetitis* c. I. §. 22. 23.

exercuiſſe, ſibi aliiſque perſuadent, eos erroris ſeſe adligare eſt manifeſtum. Cicadae enim & locuſtae carnibus erant circumdatae, ac a Judaeorum magiſtris ad carnes referuntur. In Gemara Hieroſolymitana in libro de votis, dicto *Nedarim* fol. 40. col. 2. luculenter haec ſententia fuit expreſſa: *Qui voto ſe obligat de carne, ei interdicta ac vetita eſt caro piſcium & locuſtarum.* Quam ob cauſſam facile judicatu eſt, carnes locuſtarum piſciumque in numerum earum rerum haud poſſe conjici, quae ebrietatem inducunt vel conciliant. Johannes non bibit, ſed edit, cicadas. Eadem ratione *mel ſilveſtre* Johanni tanquam Naſiraeo haud fuit interdictum, ſiquidem illud haud bibere, ſed edere, conſueverat. Potus, ex melle arboreo confectus, aptus erat ad inducendam ebrietatem, ideoque is a Naſiraei victu abfuit. Potus enim ejusmodi ad vina referebatur, a quorum ſingulis abſtinendum erat Naſiraeo. (*) Verum de potu Johannis nihil additur a Matthaeo, qui nonniſi cibum Johannis ſingularem docendo exſequitur. Mel arboreum ſolebant hominum viliſſimi aqua miſcere ac eo ita veſci, vel mel edebant, aquamque paullo poſt ingerebant ventriculo. Poſterior edendi ac melle utendi ratio probata fuit Johanni, ſiquidem alias mel bibiſſe, non ediſſe, cenſendus eſſet.

§. VIII. Locuſtae exſiſtunt ſpeciei haud unius. Aliae enim ſunt terreſtres ac volandi facultate inſtructae; aliae ſunt marinae, quas *carabos* Καράβους, *Krabben*, *Meerkrebſe*, *Krebſe*, adpellant. Veteres Callimedontem Rhetorem dixerunt *Carabum*, quia locuſtarum

(*) Tr. Miſchn. *Naſir.* V. 6.

Digitized by Google

ſtarum marinarum ſeu coraborum cibo delectabatur (*). Ipſi corabi ſunt ſatis noti, parvi eis pedes, longa vero brachia. Cibus ipſorum, in deliciis habitus, ad libidinem ſtimulos addit. Archeſtratus eos vocavit aſtacos. Ariſtoteles vero corabos ab aſtacis diſtinxit (**). Victorinus Strigelius, noſtras, Johannem e locuſtis hiſce paraſſe ſibi cibum credidit. Chriſtianus Druthmarus, qui nono ſaeculo expoſitionem in Matthaeum ſcripſit, refert, quemdam jam olim in ſententia fuiſſe eadem. Verum enim vero Johannes adhibuit cibum terreſtrem, non marinum; frugalem maxime, non venereum; mundum omnino, haud immundum; ſimplicem & parcum, non delicioſum & libidinoſum. Naſiraei erat, ab omni ſeſe reſervare intactum immunditie. Quis vero ignorat, nefas fuiſſe, illud Judaeos edere, quidquid in mari fluviiſque vitam degit, pinnis & ſquamis haud inſtructum? (***) An cancri marini vulgata illa *ἀκρίδων* denominatione comprehendantur, liceat quoque tantiſper dubitare, donec locus quidam perſpicuus, e veteri claſſicoque Autore depromtus, haeſitationem tollat.

§. IX. Exſtiterunt viri tum docti tum pii, qui per *ἀκρίδας* intellexerunt arborum & herbarum extremos apices, vel herbas ipſas & virgulta, immo aviculas & ſquillas, quibus in toto cancrorum genere nihil eſt praeſtantius. Verum repugnat ſignificatus vocis *ἀκρὶς*; repugnant viri, linguarum peritiſſimi; re-

(*) ATHENAEUS *Dipnos.* III. 52.
(**) ATHENAEUS idem III. 53. HESYCHIUS in voce Κορακῖνος.
(***) *Levit.* XI. 9. MAIMONIDES de *cibis vetitis* II. 37. I. 24.

repugnant & ſecus ſentiunt ei, qui hanc cauſſam penitus diſpexerunt ac in ea expendenda nihil fecerunt reliqui, videlicet ſummi Duumviri *Samuel BOCHARTUS* in *Hierozoico* P. II. L. IV. c. 7. ac *Caſpar SUICERUS* in *Theſauro eccleſiaſtico* ſub voce Ακρίς. Diſſentientes ac locuſtas exoſos interpretes videtur fefelliſſe licitus inter Judaeos locuſtarum ac cicadarum quarumdam uſus ac inde confectus vulgo cibus. Ipſi crediderunt, indignum fuiſſe Johanne, inſectis latrantem refercire ſtomachum, quae plerique Europaeorum faſtidiunt ſuaque appetentia minus proſequuntur. Verum diſtinguendi ſunt regionum mores ac ritus. In Palaeſtina, Syria, Arabia, Aegypto & Africa homines ab edendis cicadis & locuſtis adeo haud ſunt alieni, ut potius eum cibum adpetant & frequentent. LEO *Africanus*, unus e multis, locupletiſſimum ſubminiſtrat teſtimonium, ea, quae diſſero, veritati eſſe conſentanea. Ipſe in *Deſcriptione Africae* IX. 61. (*) haec habet: *Locuſtarum plerumque tanta in Africa conſpicitur frequentia, ut volantes inſtar nebulae radios ſolis operiant. Arbores ipſas pariter cum frondibus ac fructu eſitant. Diſceſſurae ova relinquunt, quibus aliae (tametſi non volent) pullulant, & quibus in locis offenduntur, omnia ad cortices arborum exedunt magnamque annonae caritatem praecipue in Mauritania relinquunt. Verum Arabiae deſerta & Libyae populi adventum locuſtarum pro felici habent omine: nam vel elixas vel ad ſolem deſiccatas in farinam tundunt atque comedunt.* SOLINUS in *Polyh.* c. 43. ab hac commemoratione haud admodum diſcedit, haec tradens: *Confines Mauri-*

(*) Edit. 1559. 8. Tiguri p. 512.

ritaniae certo tempore locuſtas terreſtres legunt duratasque ſalſugine in praeſidium vitae ſolas habent. Alia teſtimonia jam ſupra laudavi (§. 6.)

§. X. Altera cibi Johannei ſpecies ex melle conſtitit. Mella ab apibus per Palaeſtinam copioſa elaborabantur. Quam ob cauſſam regio ipſa dicta fuit fluere & lacte & melle Ex. III. 8. Crabrones ibi quoque elaborabant mella eximia. De utroque melle pronuntiat haec MAIMONIDES (*): *Mel apum & crabronum licitum eſt, quia non corpus illorum exprimit illud, ſed colligunt id ex herbis in ora ſua revomuntque in alveare, ut praebeat ſibi victum tempore pluvioſo.* Apibus abundavit Palaeſtina utique, quod ipſum vel ex Jud. XIV. 8. Deut. I. 44. ac aliunde (**) ſatis ſuperque perſpicitur. Nefas tamen erat, ad altare Dei deferre mella, ac eis ſacra facere. Lev. II. 11. Sabaeis vel Sabiis hanc legem fuiſſe oppoſitam, mihi non fit veriſimile. An Sabii aetatem Moſis adtigerint, quaeri poteſt. Quis, quaeſo, teſtimonia de eorum religione, ad Moſis aevum referenda, adferre valet? Conjecto potius, mella ad paupertatem hominum proletariorum ſolandam potiſſime fuiſſe adhibita, ac ob eam rationem a menſa Regis ſummi, qui ſub ſymbolo *ignis conſumentis* altari holocauſtis propria praeſidebat, abfuiſſe. Qui parce duriterque vitam tolerabant, melle pro cibo utebantur, quod ex Johannis exemplo poteſt diſci, ſi id aliunde conſtare haud videtur. Summo Regi, qui theocratiam in Judaeos tenebat, victus ſplendidior ac cibus praeſtantiſſimus erat exhibendus, ut ex-

(*) In libro de *cibis vetitis* III. 3.

(**) Gen. XLIII. 11. 2 Reg. XVIII. 52. Ezech. XXVII. 17. Deut. XXXI. 20. Pſ. LXXXI. 17. Eſ. VII. 5.

externa majeſtas reſponderet notioni, quam de ſpiritu ſupremo ac omnipotenti animis informare oportet.

§. XI. Mel aëreum & arboreum ab apum melle differebat. De utroque etiam nonnulla addemus. De aëreo memorabile eſt teſtimonium Amynthae libro primo περὶ τῆς Ἀσίας Σταθμῶν de *Aſiae Manſionibus*, quod nobis reſervavit ATHENAEUS *Deipnoſoph.* XI. 246. p. 500. Athenaeus de Amynta ſic ſcribit: Ἀμύντας δὲ ὁ μελομέλιτος καλαμένης διαλεγόμενος, γράφει ὅτως, σὺν τοῖς φύλλοις δρέποντες συντιθέασιν εἰς παλάθης Συριακῆς τρόπον πλάττοντες. οἱ δὲ σφαίρας ποιοῦντες, καὶ ἐπειδὰν μέλλωσι φορεῖσθαι ἀποκλάσαντες ἀπ' αὐτῶν ἐν τοῖς ξυλίνοις ποτηρίοις, οὓς καλοῦσι Ταβαίτας, περιβρέχουσι καὶ διηθήσαντες πίνουσι, καὶ ἔστιν ὅμοιον, ὡς ἄν τις μέλι πίνοι διειές. τοῦτο δὲ καὶ πολὺ ἡδιον. *Amyntas, quum tractat de aërio melle, ita ſcribit: ſimul id cum foliis decerpunt, componunt, & fingunt ad inſtar Syriacae maſſae: quidam globos ex eo faciunt, &, ubi ſumere collibitum eſt, diffractas ex iis micas in ligneis poculis, quae Tabaetas nominant, dilutas antea & colatas bibunt, guſtu ſimili, atque perinde, ac ſi quis mel dilutum bibat. Hoc vero longe ſuavius.* Maſſa illa Syriaca e caricis pinguibus erat compoſita, eisque contuſis. Ebraei vocant eam דְּבֵלָה. Mel illud roſcidum, ſeu manna, de nocte copioſe caelitus deſtillabat, praecipue circa Libanum; ac per boream, noctu plerumque ibi flantem, ad montes uſque, qui Hieroſolymam cingunt, deferebatur. Lux inde accenditur locis Pſ. CXXXIII. 3. Jo. VI. 35. 49. 50. Cum hoc rore, cum hoc roſcido melle, ſitim & famem levante, ac cicadarum pabulo, confertur interna recreatio, quam Spiritus ſanctus per adplicationem & fructum divinarum promiſſio-

missionum mentibus piorum de caelo instillat Ap. II. 17. Mel hoc roscidum Graeci vocant Δροσόμελι. SUIDAS id ita definit: Δροσόμελι, ὅπερ ἀπὸ τῶν δένδρων ἀποσυναγόμενον, μάννα τοῖς πολλοῖς προσαγορεύεται. *Drosomeli, quod ab arboribus colligi solet, a multis vocatur manna.* De melle hoc roscido locus occurrit notatu dignus apud CURTIUM VI. 4. §. 22. quem intexere lubet. Ipse sic habet: *Frequens arbor faciem quercus habet, cujus folia multo melle tinguntur; sed nisi solis ortum incolae occupaverint, vel modico tepore succus exstinguitur.* Hoc cibo Deus Judaeos sustentavit per annos quadraginta. Miraculum in eo consistit, quod tam copiosum in locis aridioribus per omnes noctes, excepta septima, & per tot annos Deus manna dederit Israëlitis. Haec doni praestantia luculenter designatur Ps. LXXXVIII. 23. sqq. CV. 40. Exod. XVI. 15. Deut. VIII. 3. Quidni Arabes eodem beneficio ac cibo vivunt in eisdem locis, in quibus versabantur Israëlitae, si manna tam copiosum ac tam salubre ibi continuo reperitur? Verum de hoc beneficio caeli posthaec continuato vel in praesens durante altum ubique penes eos, qui itinera scribunt per Orientem Suscepta, est silentium.

§. XII. Praeter hoc mellis genus proveniebat in Palaestina *arboreum*, cui nomen δενδρόμελι. Erat id succus, ex humoribus arborum resudans. Ex palmis, ficubus, & oleis, earumque corticibus rescissis illud largiter emanabat, haud secus ac verno tempore ex betulis nostris succum elicere consuevimus. Mel hoc arborum & praecipue palmarum, in Judaea maximi fiebat, si in dolia diffunderetur ac vinum praeberet palmeum. Dolia ejusmodi vocabantur חביות של דבש, vt patet ex codice Mischnico

baba kama X. 4. Ex canali, in quem ſuccus palmae confluebat, Jonathan mel arboreum depromſit ac ope haſtilis ad os admovit. 1 Sam. XIV. 27. 43. De melle, ex ficubus defluente, locus exſtat commemorabilis in libro Gemarico *Cethubhoth* fol. III. p. 2. ubi haec percenſetur hiſtoria: רמי בר יחזקאל איקלע לבני ברק חזנהו להנהי עיצי דקאכלן חותי תאני וקא נטוף דיבשא מתאיני וחלבא סייף מנייהו ומיערב כהדי הדדי אמר היינו זבת חלב ודבש וכו' *Rami, filius Ezekielis, pervenit ad Barakaeos, ubi conſpexit capras ſub ficubus paſcentes. Fluente igitur ex ficubus melle & deſtillante ex iis capris lacte, quod illi miſcebatur, Hoc, inquit, eſt, quod dicitur: Lacte & melle fluens.* Ex III. 8. De melle, ex oleis manante, PLINIUS H. N. XXIII. 4. *Elaeomeli in Syria ex ipſis oleis manat.* DIODORUS SICULUS de Nabataeis haec refert XIX. 104. Φύεται παρ' αὐτοῖς τὸ πέπερι ἀπὸ τῶν δένδρων, καὶ μέλι πολύ, τὸ καλούμενον ἄγριον, ᾧ χρῶνται ποτῷ μεθ' ὕδατος. *Naſcitur apud eos piper ex arboribus, nec non mellis multum, quod adpellant agreſte, & quod bibunt aqua mixtum.* Eamdem vocem, nempe Μέλι ἄγριον, adhibuit Matthaeus ac repetiit Marcus. Hoc mel a Johanne fuiſſe in cibo ſumtum docuit Hadrianus RELANDUS *Palaeſtinae* I. 57. p. 382. cui calculum ſuum adjecit Vir Ven. Joannes Chriſtophorus WOLFIUS in *curis philologicis ac criticis ad Matth.* III. 4. p. 52. Plures ſententias recenſuit BASNAGIUS de *Flotemanville* in *Annalibus Politico-Eccleſiaſticis* ſaec. I. p. 237.

§. XIII. Tandem reſtat, ut expendamus, quanam mellis ſpecie Johannes fuerit uſus. Plerique veterum ac recentiorum interpretum intelligi volunt

mel,

mel, ab apibus elaboratum feris, ac in arboribus rupibusque inveniri ſolitum. Eamdem opinionem ſequitur *Caſpar* SUICERUS in *Theſauro Eccleſiaſtico* ſub voce Μέλι ἄγριον. De eo melle multa collegit BOCHARTUS in *Hierozoico* p. II. L. IV. c. 12. Mel ſecundae ſpeciei, ſeu aëreum, videntur intellexiſſe Ebionaei, in quorum Euangelio teſte EPIPHANIO L. I. *contra haereſes* Tom. II. *Hæreſi* XXX. p. 65. haec de Johanne legebantur: Τὸ βρῶμα αὐτῦ μέλι ἄγριον, ὅ ἡ γεῦσις ἦν τῦ μάννα, ὡς ἐγκρὶς ἐν ἐλαίῳ. *Cibus ejus erat mel ſilveſtre, ſapore mannae, tanquam lagani in oleo fricti.* Quaeris, cuinam ſententiae accedam? Nec diffiteor, delectum heic videri difficiliorem, dum vox generalis tria illa genera mellis, citra operam hominum exorti, commode complectitur. Tertium genus Joannes Oldermannus intelligere recuſabat, eo quod potum ex דבש factum Naſiraei haud bibebant. Verum ad hunc ſcrupulum eximendum praemiſi jam ea, quae poſſint ſufficere (§. 7.) Nihil itaque impedit, quo minus, melle arboreo Johannem pro cibo fuiſſe uſum, exiſtimem. Cognomen ei adhaeſit ſingulare, quo μέλι ἄγριον fuit adpellatum. De reliquis generibus id haud aeque conſtat. Arboreum mel ederunt ei, quibus nil aliud pro alimento ſuppetiit ac pro fame propulſanda. Provoco ad exemplum Jonathanis. Reliqua mella erant ſumtuoſiora ac majori labore adparabantur. Mel aëreum ſtatim contrahebat vitium, niſi ſolerter mox conderetur ac arte elaboraretur. Requirebantur inſtrumenta & miniſtri elaboraturis mel illud, ac id in cibum converſuris. Mel apum ſilveſtre difficulter eripi apibus ac ex cavernis protrahi poterat. Labor hic difficilis vitae Joannis durae, meditationibus divinis intentae, ac ſolitariae nequa-

quam respondet. Ipsum satiabat cibus, quem occupabat. Quae quum ita sint, nihil supereſt, nisi ut cum viris immortali memoria digniſſimis, Relando ac Wolfio mel arboreum pro cibo, a Johanne adhibito, habeam.

II. EJUSDEM

OBSERVATIO

Critica ad 1 Cor. XII. 3.

De illo, qui Jesum vocat maledictionem.

Quoties praeconum sacrorum voces ex suggestu ecclesiastico audivi, in exponendo hoc inciso versatas, audivi autem eas saepissime; mihi haud licuit intelligere planam Pauli differentis sententiam. Evolvi expositiones formis publicis descriptas & industriam illorum consului, quorum judicium viresque ingenii admirari & suspicere soleo. Verum & ita adhuc mihi haesit aqua. Damnata igitur & abjecta aliorum cura, coepi ipse legere ac sensum differentis Pauli indagare. Videor mihi intellexisse, scopum Pauli & generalem & specialem in eo consistere, ut de Spiritus Sancti operationibus, gratiae ac miraculi plenis, notionem debitam Corinthiis instillaret, atque eos, ne desciscant a Christo, adhortaretur. Ab adrogantiae stimulis nonnulli agitati credebant, se christianorum societati esse ineptos, siquidem donis Spiritus Sancti singulis haud instructos sese sentiebant. Hi ad relapsum erant faciles, invidia tacite animum incitante. Meminisse igitur eos jubet status prioris servilis, in quo instar caecorum ducebantur

ac reducebantur pro arbitrio ſacerdotum. Ducti fuerant, eo in ſtatu viventes, non ad conjunctionem cum Deo ineundam, non ad tranquillitatem conſcientiae ſentiendam, ſed ad ſimulacra, quibus nec vox nec mens nec conſilium erat. Ne ad ſtatum caecitatis priorem relaberentur, Paulus admodum navavit operam. Ipſe turpitudinem ſtatus prioris cum ſplendore ac dignitate praeſentis conditionis eos comparare jubet. Antea ducebantur ac abripiebantur inſtar pecudum ac mancipiorum, vel captivorum ἀπαγόμενοι, ὡς ἂν ἤγοντο; in praeſens libertate ſua fruebantur, ducti a flexanima virtute Spiritus Sancti, per quem loquebantur de rebus divinis ſuisque oculis videre incipiebant. Addit hiſce Paulus: *propterea vos haud ignorare velim, quod nemo, qui per Spiritum Sanctum flexus & illuminatus de Deo rebusque divinis diſſerit, Jeſum vocet maledictionem*, hoc eſt, maledictum dirisque dignum. Neminem enim fugit, primos chriſtianos, ut demonſtrarent, ſeſe deſiiſſe eſſe chriſtianos, ſupplicare (a) debuiſſe Diis eorumque imaginibus, praecipue ſimulacris Auguſtorum, Thure inprimis ac vino. Praeterea judices Romani cogebant eos, qui ad cultum ſimulacrorum relabebantur, Chriſto maledicere, eumque diris devovere, tanquam capitali ſupplicio ex merito adfectum hominemque pravum ac rebellem. Graeci breviſſime perſonae adpellabant nomen, eique addebant pro notiſſima maledictionum formula illud vulgatum: ἀνάθεμα ἴσω. Unde planum eſt & compertiſſimum, quid ſit λέγειν ἀνάθεμα Ἰησοῦν. Succurrit commodum locus Plinii ſecundi decantatiſſimus, qui ita L. X. ep.

(a) PRUDENTIUS *Peri Stephanon*, Hymn. IX. V. 122. ſqq. Hymn. XIV. V. 421. ſqq. Hymn. I. 41. 42.

97. de Christianis & relabentibus & constantibus pronuntiat: *Propositus est libellus sine auctore, multorum nomina continens, qui negarent, se esse Christianos, aut fuisse, quum, praeeunte me, Deos adpellarent, & imagini Tuae*, Trajane, *quam propter hoc jusseram cum simulacris numinum adferri, thure ac vino supplicarent, praeterea maledicerent Christo; quorum nihil cogi posse dicuntur, qui sunt revera Christiani.* Paulus eadem tradit, docens, neminem, a spiritu divino dirigi ac in communione ejus stantem loquentemque, cogi posse, ut maledicat Christo. Tria momenta illa, quae Plinius commemorat, Polycarpus ut expleret, Proconsul a Polycarpo Martyre fieri expetebat. Hic vero id dabat responsi: *Octogesima sex annis jam illi* Christo *inservio, nec ulla huc usque me injuria adfecit: quomodo itaque possem contumeliose loqui de Rege meo, qui me adhuc servavit?* EUSEBIUS H. E. IV. 14. Nunc demum intelligere mihi Pauli mentem videor. Intelligo enim, quinam sensus subsit verbis illis: *Jesum adpellare anathema.* Intelligo simul, Paulum prudentissime ita instituisse sermonem, ut Christianos distincte satis docuerit, quo pacto defectionem vitare deberent; ipsos tamen simulacrorum cultores nulla voce laeserit, quippe quos ne quidem voce adtingit. Intelligo tandem, Paulum formula ea fuisse usum, qua Proconsules in provinciis Graecis utebantur, coacturi christianos ad doctrinae christianae renuntiandum. Quare non falluntur rei exegeticae sacrae magistri, qui censent, interpretis esse, nosse singularum vim vocum ac historiam aetatis gentisque, in qua libri litteris fuerunt commendati memoriaeque proditi. Nec tamen sufficerit, summas Deo ter optimo agere & habere gratias, qui eam nobis adspirare indulgentiam fuit dignatus, ut nullus

nos

nos cogat verba in Chriſtum ſoſpitatorem merentiſſimum proferre maledicta. Dolendum quoque & deplorandum eſt, quod multi factis & re ipſa, quod gravius eſt injuriis verbo expreſſis, Chriſto maledicant. Quotusquisque enim eſt, qui in ſpiritu Dei ſemper ea loquitur, quae profert? Quoties chriſtiani loquuntur, ſpiritu & adflatu ſatanae agitati? Larga eorum eſt ſeges, qui vita ſua penitus refellunt & ignominiae exponunt vitam & doctrinam Chriſti integerrimam? Qui data opera peccant, nihilominus ſeſe ac peccata ſua flagitioſiſſima merito Chriſti, obtentui peccatorum litaturi, ornare ac condecorare ſtudent. Nonne & hi Chriſto dicunt anathema? De maledictis, quae a Judaeis in Jeſum ſunt congeſta, differere jam non eſt operae pretium, ſiquidem ea ignoramus tutius quam in medium proferimus.

Digitized by Google

OBSERVATIO III.

Ad locum difficilem Matt. XV. 5. inservitura eis potissimum, qui in posterum novum Testamentum Graecum sunt edituri.

SYNOPSIS.

§. I. *Judaei praecipiunt, parentes esse honorandos.*
§. II. *Eidem illum honorem rursus constringunt.*
§. III. *Comma ponendum est post vocem* Δῶρον.
§. IV. *Explicatur voti Judaici indoles ex Mischna.*
§. V. *Enarrantur commentatores, qui incisum hoc illustrarunt.*
§. VI. *Formula Korban tunc quoque fuit adhibita, quando quis usum rerum sibi interdixit.*
§. VII. *Significatus vocis Korban.*
§. VIII. *Sapientes contra R. Elieserem votum id approbarunt, quod Christus hoc loco improbat.*
§. IX. *Connexio incisi hujus quinti exponitur.*
§. X. *Ellipsis ab Edzarda & Schoetgenio tentata examinatur.*
§. XI. *Formulae votorum ante codicem Mischnicum exstiterunt jam tritissimae.*
§. XII. *Refellitur opinio & destinatio Abbatis Malachiae de Ingimberto.*

§. I. Virtutem eam, qua liberos decet parentum amore & charitate flagrare, magistri Judaeorum veterum justissimis in coelum tollunt laudibus (*a*), id in primis spectantes, ut in eo officii genere

(*a*) H. J. van BASHUYSEN in *Diss. I. ad Clavem Talmudicam* p. 80.

Digitized by Google

nere praecipiendo videantur nihil feciſſe reliqui. Doctores, quos gens circumciſa magnifico rabbanitarum encomio inſignit, in codice miſchnico docent, juſtum eſſe omnino, ut egenum patrem filius ſeu filia nutriat, ac, ſi alia ratione vitam ejus conſervare tuerique haud poſſit, pro eo ſtipem colligat oſtiatim. Ne teſtimonio deſtitutus videar hoc tradidiſſe, ad expoſitionem codicis miſchnici antiquiorem me refero, quam vocare *Gemaram hieroſolymitanam* eruditi conſueverunt. Ea enim, quae adfirmavi, planis perſpicuiſque verbis in ea (*b*) commemorantur.

§. II. Quemadmodum vero ſectatores nonnullarum religionum profitentur ea & pro veris reputant, quae vel ipſius facti ſollemnitate vel doctrinarum aliarum acceſſionibus rurſus in numerum earum rerum rejiciunt, quae vel aſſenſu indignae vel effectui dandae haud penitus videntur: ita Judaei praecepto divino, quod parentes eſſe colendos jubet, admodum offecerunt ac impedimenta oppoſuerunt. Quod ipſum, ſi alia nos fallerent loca & teſtimonia, ex loco Matthaei, quem prae manibus habemus, abunde ac plane conſtat. Minori enim honore parentes, quam rabbinos, eſſe proſequendos, haud obſcure docuit MAIMONIDES (*c*). Magiſtri vero Judaeorum, quibus nomen eſt Rabbinis legem ſanxerunt, ut, ſi quis forte vel iratus dixerit parentibus: *hoc ipſum, unde tibi vobiſque lucrum & adminiculum praeſtari poteſt, eſto Korban ſeu res Deo conſecrata*, pronuntiato ejusmodi firma fides conſtet & plena auctoritas. *Joannes* CLERICUS (*d*) nec non *Guilielmus* CAVE (*e*) tradunt,

(*b*) In *Kiddyſchim* fol. 61. 2. 3.
(*c*) *Gezelah* c. 12.
(*d*) In *Notis ad* N. T. & in *Harmonia Evang.* ad h. l.
(*e*) In *Leben der Apoſtel.* p. 112.

Digitized by Google

canonem ac decretum ipſum in codice Miſchnico exſtare. Alii rurſus in omnia eunt alia ac negantem amplectuntur ſententiam. Quae ipſa ratio opiniones in diverſa diſtractas peperit. Nonnullas ſententias expoſuit *Joachimus* HILDEBRANDUS (*f*). Complures auctores eorumque conſulta ſingularia in medium produxit Ven. *Joannes Chriſtophorus* WOLFIUS (*g*).

§. III. Si, quod res jubet ipſa, dicere licet, Chriſtus indubie ad ipſa Judaicae doctrinae per manus traditae reſpexit verba, eademque citra mutationem illatam recitavit. Formulae, quibus Judaei vota ſua ſuſceperunt, ſuperſunt adhuc in libellis Miſchnicis, qui de *votis* & *naſiraeo* inſcribuntur. Quibus in medium adhibitis, conſtat, formulam hanc ita eſſe interpungendam, ut comma ponatur poſt vocem δῶρον, nullum vero poſt voculam ἐμοῦ. Jam olim ſic legebatur, & quidem curate rectęque, in editionibus, & Complutenſi & Plantiniana. Editio Benedicti Ariae Montani cum tranſlatione interlineari prodiit in lucem, publicis formis deſcripta, anno 1599. in folio modulo maximi. In ea locum, de quo nobis nunc eſt ſermo, ita legimus: Ὃς ἂν εἴπῃ τῷ πατρὶ ἢ τῇ μητρὶ, δῶρον, ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς. Dolendum cenſeo, quod error vulgaris, ubique propemodum per varias regnans editiones, in recentiori ac alioqui commemorabili editione D. Gerhardi de Maſtricht, Syndici Bremae urbis, denuo fuit retentus, ac quod inibi comma poſt vocem ἐμοῦ poſitum exſtat. Qui mediocriter verſarunt codicem Miſchnicum, facile

(*f*) In *Antiqq. Sacr.* p. 140. ſq.
(*g*) In *curis philologicis & criticis* ad Matthaeum p. 242. ſqq.

facile ſubodorantur, propoſitionem eſſe ellipticam, ſupplendam quippe per verbum *eſto*, hunc maxime in modum: *Donum, Deo ſacratum, eſto id, quod ex opibus meis poterat uſibus tuis inſervire.* Errant, opinor, ei, qui vertunt: *donum eſt.* Filius enim hoc votum non voverat olim, ſed illud interventu hujus ipſius verborum formulae vovebat. Quantum ad formulam porro: *donum eſto*, adtinet, ea ſenſu eodem fuit adhibita, ac ſi quis dixiſſet: *inſtar doni eſto, ſit inſtar rei ſacratae*, rei videlicet ejusmodi, quam nemini fas eſt in uſus ſuos communes privatoſque convertere, qui per laudatam voti formulam fuerunt remoti ac omnino excluſi. Filius, qui ita vovit, plenum in res ſuas ſibi jus reſervavit, atque ex eis prodeſſe unicuique potuit, exceptis duntaxat parentibus, contra quos votum illud conceperat.

§. IV. Morem illum, parentes per nuncupati voti religionem ab uſu fructuque rerum arcendi ac excludendi, inter Judaeos viguiſſe, ex libello miſchnico, quo *vota* pertractantur (*b*), ſatis ſuperque dilucet. Judaei quidem votum hujuscemodi, contra parentes ſancitum & prolatum, non prorſus probarunt; exiſtimabant ipſi tamen, eis, qui, per animi fervorem abrepti, ſeſe hac voti formula obſtrinxiſſent, non licere amplius benefacere parentibus, ne ipſi per ſuam ejusmodi beneficentiam, quam damnarant, pro reis violati voti haberentur. Ut Judaei oſtenderent, haud temere ſic doceri, ſuffugium ipſi in Num. XXX. 2, quaeſiverunt. Siquis voto adjeciſſet jusjurandum, is firmiori obligatione & religione ſeſe induiſſe credebatur, quam ille, qui nudo voto praeter jusjurandum ſeſe obſtrinxerat. Formulam voti merito requirunt omnes miſchnicam, qui adhuc haeſitant,

(*b*) *Nedarim* c. V. §. 6.

ſitant, an ea in codice miſchnico commemoretur. At illa ipſa formula creberrima eſt ſatiſque frequens, in hunc maxime modum expreſſa: קרבן שאיני. נהנה לך Vel hoc quoque pacto illa eſt obvia: (*) קונם שאני נהנה לך. Filii, qui contra patrem votum nuncuparat, haec adfertur formula in codice Nedarim: אם שלי הם הרי הם מוקדשים לשמים *Mea haec non ſunt. Sacravi enim ea Deo.* Ad rem ipſam illuſtrandam porro facit egregie locus alius, quem (*i*) cum lectore in utraque lingua communicabo: אין בין המודר הנאה מחבירו למודר ממנו מאכל אלא דריסת הרגל וכלים שאין עושין בהן אוכל נפש. אין בין נדרים לנדבות אלא שהנדרים חייב באחריותן ונדבות אינו חייב באחריותן *Nulla intercedit differentia inter eum, qui per votum id, quo alteri prodeſſe poterat, ab alterius uſu excludit, ac inter illum, qui voto inductus cibum alteri denegat, excepta conculcatione pedis & vaſorum, quae cibis ulli parandis haud amplius tunc adhibentur. Nil intereſt vota inter & voluntarias ſacrificiorum ſponſiones, praeterquam quod is, qui vota concepit, obſtrictus ſit ad praeſtandum damnum, ex eis ortum; is vero, qui voluntarie aliquid ſpopondit, ad praeſtationem damni non teneatur.* Unde patet, eum, qui voverat, ſeſe alteri cibum eſſe denegaturum, vaſa etiam cibaria fregiſſe & conculcaſſe, ex quibus alter cibum capere ſolebat vel poterat.

§. V. E Scriptoribus Judaicis plura ad hunc Matthaei locum congeſſerunt ac protulere JOANNES LIGHT-

(*) *Nedarim* c. III. §. II. IX. §. 2.
(*i*) ex *Megillah* c. I. §. 6. *Nedarim* c. IV. §. 1.

Digitized by Google

LIGHTFOOTUS in *Horis*, & *Not. Miſcell.* edit. Pocockii p. 414. GEORGIUS ELIESER EDZARDUS ad caput 2. libelli *Avoda Sara* p. 292. ſqq. CHRISTIANUS SCHOETTGENIUS in *Horis Hebraicis & Talmudicis ad univerſum novum teſtamentum* p. 138. ſqq. ac prae ceteris CAPPELLUS in *diatribe*, quae inſerta eſt Tomo VI. *Criticorum Anglicanorum* col. 435. ſqq. Clariſſimus SCHOETTGENIUS, Chriſtum hanc voti formulam, in qua vox *korban*, קרבן, eſt praeſto, etiam in iis rebus adhibuiſſe, arbitratur, quas non aliis, ſed nobis ipſi imponimus. Nec ipſe dubitat, quin ejusmodi exempla inveniantur, ſed quae a nemine virorum doctorum ſint obſervata ac in lucem protracta. An nemo exempla dederit, dicere non habeo.

§. VI. Ne quis tamen deſperet, quod in ea voti formula, qua nos a certa re abſtinere velle vovemus, vox *Korban* aeque adhibeatur; provocandum exiſtimo ad codicem Miſchnicum, qui de *votis* inſcribitur. In eo enim (*k*) haec leguntur: *Siquis dixerit, Korban, non ſum comeſturus tecum*, vel *Ha Korban* (ecce munus) *quod comeſturus ſum tecum*, vel *Lo Korban* i. e. *non munus eſto, quod non comeſturus ſum tecum, is liber eſt nec ullius culpae reus.* Verba ebraica ſic habent; קרבן לא אוכל לך קרבן שאוכל לך לא קרבן לא אוכל ſi formulam accurate expendimus, ea ſic erit לך מותר interpretanda: *Siquis dixerit, munus eſto & res Deo conſecrata eſto id, quod tibi non abſumo, cibum alioqui capiens: Si quis dixe-*

(*k*) C. 2. §. 2. p. 108. P. III. operis Miſchnici Surenhuſiani, a 1700 Amſtelaedami in lucem emiſſi.

dixerit, munus eſto reſque Deo devota id, quod tibi auſfero, capiens cibum, ex cibis tuis: was ich dir abeſſen und aufeſſen würde, das ſoll Gotte gewiedmet ſeyn. *Siquis dixerit, non eſto id in muneris, Deo ſacrati, loco, quod tibi haud conſumo, tecum cibum capiens: Siquis, inquam, hiſce formulis uſus fuerit, is a culpa ac poena eſt immunis.* Addo id etiam, quod voces קרבן, קונח, קונם ſint e claſſe eorum nominum, quae quidem ſono, re vero ipſa nequaquam, differunt. Quid enim clarius planiuſque dici poteſt, quam illud, quod ſub initio libelli miſchnici, qui de votis inſcribitur, occurrit c. I. §. 2. האומר לחבירו קונם קונח קונם הרי אלו כינויין לקרבן Nihil itaque ſupereſt diſcriminis, ſive *Korban* ſive *Konam* quis, vota concepturus, dixerit. Quod in eis formulis, qua quis ſibi abſtinentiam a certis rebus voto interpoſito indixit, adhibita fuerit vox קרבן, *Korban*, illud ex eodem libello c. 1. §. 4. ſatis ſuperque perſpicitur.

§. VII. *Korban* vocabatur illud munus, quo praemiſſo quis in magiſtratuum primorumque conſpectum prodire eorumque favorem exſpectare poterat. De ſacrificiis & eleemoſynis vox adhiberi conſuevit. In feminarum atrio poſita erat capſa eleemoſynaria Luc. XXI. 1. Graeci id vocarunt γαζοφυλάκιον, theſauri receptaculum, Marc. XII. 43. Luc. XXI. 1. 1 Macc. XIV. 48. III. 6. Quod quum in eo templi loco, ad quem feminis accedere licebat, eſſet conſtitutum, atrium feminarum nomen ipſum gazophylacii obtinuit. Jo. VIII. 2. Receptaculum illud, in quo eleemoſynae recondebantur, conſtabat arcis compluribus. Id vel exinde colligi poſſe videtur, quod Joſephus γαζοφυλάκια commemoret. Docto-

res certe miſchnici numerare ſolent arcas tredecim, eisque nomina rerum colligendarum inſcripta fuiſſe docent. Primae arcae inſcriptum erat *ſicli novi*. Hi ſicli eodem anno colligebantur. Secundae inhaerebat inſcriptio: *ſicli veteres*. Tertia & ſequentes ita deſignatae fuerunt: *nidi*, *pulli pro holocauſto*, *ligna*, THUS, *aurum pro expiatione*. Sex reliquae ciſtae patebant ac dicatae erant oblationi ſpontaneae. (*l*) Ciſtis ipſis nomen שופרות *buccinarum*, fuerat inditum, quod vel a forma earum, vel a ſono munuſculorum immiſſorum, creditur arceſſitum. Prior originatio eſt admodum incerta; poſteriori ineſt probabilitas major, ſiquidem, ciſtas illas ſuperne anguſtas, inferne autem latas, fuiſſe, veteres referunt. Sunt, qui ex hac ciſtarum, ad modum buccinae exacta, forma illud ſervatoris praeceptum exponunt, quod Matth. VI. 2. legitur: Μὴ σαλπίσῃς ἔμπροσθέν σε, ὅταν ποιῇς ἐλεημοσύνην, ὥσπερ οἱ ὑποκριταὶ ποιοῦσιν ἐν ταῖς συναγωγαῖς καὶ ἐν ταῖς ῥύμαις. Verum ea conjectura nec ſcopo nec momentis Chriſti differentis ullo pacto ſatisfacit, quam ob cauſſam in praeſens gradum ad alia promovemus.

§. VIII. Ne quis vero opinionem Phariſaicam, quam Chriſtus notat, omnibus adtribuat Judaeis, merito eſt verendum. Memorabilis enim eſt doctrina, quam R. Elieſer fovit, perhibens, praeceptum de patre & matre honorandis primum eſſe ei inſtillandum, qui in eo eſt, ut votum concipiat. Addidit R. Zadoc, honorem, Deo, exhibendum, anteferendum eſſe honori, parentibus exhiberi ſolito. Elieſeri autem maxima ſapientum pars contrarium tenuit, Jeſus vero adſenſit ſuumque adjunxit ſuffragium.

(*l*) HOTTINGERUS in *Notis* ad GOODWINI *Moſen & Aaronem* p. 354.

gium. Rei ipſius momenta innoteſcunt ex codice Miſchnico, ejusque libello, qui de Votis inſcribitur. In eo (*m*) enim haec leguntur: רבי אליעזר אומר פותחין לאדם בכבוד אביו ואמו וחכמים אוסרי׳ א״ר צדוק עד שפותחין לו בכבוד אביו ואמו יפתחו לו בכבוד המקום א״כ אין נדרים ומודים חכמים לר״א בדבר שבינו לבין אביו ואמו שפותחין לו בכבוד אביו ואמו. *R. Elieſer dixit ſeu docuit: ſi quis in eo eſt, ut votum muncupet, tunc primum ipſi proponendum eſt praeceptum de patre & matre honorandis. Sapientes autem hoc ſcitum improbant ac auctoritate indignum ducunt. Dixit R. Zadoc. Priuſquam eum, qui votum eſt concepturus, de honorandis parentibus moneat, de honorando Deo praeceptum ei eſt inſtillandum. Excipiunt (n) ſapientes, votum illud eſſe ratum, negando. Sapientes porro hoc R. Elieſeri conceſſerunt in iis rebus, quae ad patrem & matrem propius pertinerent, praeceptum de iis honorandis eſſe propugnandum.* Sapientes illi, quorum heic fit mentio, exſtiterunt Phariſaei, qui magnificis ſeſe ornabant encomiis, nec modum in honorariis adpellationibus ſibi vindicandis tenere conſueverant. In hoſce ſapientes tum Chriſtus, tum Apoſtoli, creberrimis juſtiſſimisque increpationibus fuerunt invecti Matth. XI. 25. Luc. X. 21. Rom. I. 22. 1 Cor. I. 19. 20. 26. 37. III. 18. 19. Fruſtra ſunt illi, qui haec

(*m*) *Nedarim* c. IX. §. 1.

(*n*) Compendium ſcripturae ב״א exponitur plerumque per formulam אם כן *quod ſi ita eſt*. Verum haec expoſitionis ratio ſaepius eſt ſcopo ſenſusque complexui adverſa. Quare judico, & heic & alibi eam ita eſſe inſtituendam, ut ſubaudiri debeat חכמים אמרו *dixerunt ſapientes*.

haec lōca, in quibus σοφοὶ, *ſapientes*, increpantur ac reprehenduntur, ad convicia, in quoſcunque Chriſtianos philoſophos ſpargenda, adhibent ac perperam detorquent. Id quoque, quod memori reponatur mente, eſt dignum. Noſtra aetate invaleſcit numerus eorum, qui moleſte ſeduli ſunt in conquirendis eis, quae ullo pacto auctoritati ſacrarum litterarum, vel factorum, in eis commemoratorum, videntur reclamare. Hiſce igitur nos perſuaſiſſe credimus, quae ex codice Miſchnico, quippe ſatis antiquo, ſunt adlata, & queis vis ineſt unumquemque id docendi, quod Chriſtus eos errores in Phariſaeis notaverit, quibus ipſi tenebantur conſtricti. Quem errorem ab eis, qui doctrinas Phariſaeorum pertractarunt, plerumque fuiſſe praetermiſſum (o), non eſt mirandum, ſiquidem locus ille, in quo exponendo verſamur, plerisque viſus eſt difficilis & obſcurus.

§. IX. Locus itaque noſter in poſterum ſic erit edendus: ὑμεῖς δὲ λέγετε, ὃς ἂν εἴπῃ τῷ πατρὶ ἢ τῇ μητρὶ, Δῶρον, ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς, καὶ οὐ μὴ τιμήσῃ τὸν πατέρα αὐτοῦ ἢ τὴν μητέρα αὐτοῦ. Formula Judaica proinde fuit hujusmodi: *Inſtar rei, Deo ſacratae, eſto id, quo ex me meisque bonis opibusque juvari poſſes.* At quomodo, inquis, cohaerent cum hiſce ea, quae conſequuntur? Complexus orationis, opinor, ſibi ſatis conſtat. Sermonis decurſum, arcte connexum & intra brevitatis cancellos compactum, liceat explicare fuſius eumque ita repraeſentare: *Deus praeceptum edidit hunc in modum: Honora patrem tuum matremque tuam. Vos vero, qui ſapientes vocamini, Phariſaei*

C

(o) Omiſit eum notare nuper etiam NATHANAEL LARDNER, in *Fide hiſtoriae Euangelicae, l. 1. c. 4. §. 1. ſqq. p. 205. ſqq. ed. Brem. 1733. 8.*

riſaei & Scribae, praecipitis ita: Siquis liberorum rem ſuam ejusve partem, patri matrive condicibilem ac neceſſariam, deſtinaverit voto religioſo ac eam per id votum ſubtraxerit parentum uſui ac indigentiae, dixeritque concepturus jamjam votum: Inſtar rei, Deo ſacratae, eſto id, quo ex facultatibus meis indigentiam tuam ſublevare poſſem; tum ex ea opinione, qua votum ejusmodi habetis ratum & legitimum, id exſiſtet & conſequetur mali, ne is, qui voto illo ſeſe devinxit, honoret patrem ſuum aut matrem ſuam. Germanus conciſe ſententiam ita exponeret Chriſti: Ihr ſaget, derjenige, welcher zu ſeinem Vater oder ſeiner Mutter ſpricht: Dasjenige ſol Gotte gewidmet ſeyn, wodurch du aus dem meinigen einen nützen über kommen könteſt; derjenigen mag auch ſeinen Vater oder ſeine Mutter in dieſem falle nicht ehren.

§. X. Quae quum ita ſint, nulla mihi ſuccurrit ratio, quare poſt vocem ὠφεληθῇς ſubaudienda ſit vox חסום, κωλυτὸν, *prohibitum*. Tum enim demum fit veriſimile, orationem eſſe ſupplendam, quum eae voces, quae ſunt dilucide & ſigillatim poſitae, nondum ad ſententiam integram conſtituendam ac exprimendam ſufficiunt. Viderunt quamplurimi ex viris doctis, heic aliquid eſſe ſubaudiendum. Plerique, quoniam ſenſum & nervum orationis, a Chriſto prolatae, haud fuerunt adſecuti, quo ſeſe verterent, ignorarunt. POSSINUS (*p*) *ellipticam orationem* hanc vocat, ſed voces, quae ſint omiſſae, indicare non audet. *Georgius Elieſer* EDZARDI, locum qui noſtrum luculenter & copioſe tractavit (*q*), orationem ita ſupplet (*r*): *Siquis dixerit patri vel matri ſuae:*

tui

(*p*) *Spileg. Evang.* c. 45. p. 108. edit. Fabricii.
(*q*) in *Notis* ad librum *Avoda ſara*, c. 11. p. 292. ſq.
(*r*) In loco laudato, p. 295.

res ſacrata eſt, ex qua a me juvari potuiſti: (h. e. vovi, te nulla re a me poſſe juvari), ergo *nec licebit mihi, res, Deo ſemel ſacratas, aliis & profanis uſibus impendere, tuamque ſublevare inopiam.* Ita Edzardius, eumque ſequens Cl. CHRISTIANUS SCHOETTGENIUS (s), ſentiunt, rati, ſubaudiendam eſſe vocem, in Codice Talmudico tritiſſimam, videlicet אסור, hoc eſt, *eſt prohibitum.* At eo ipſo, quo quis rem Deo ſacratam eſſe pronuntiabat, jam ſatis innoteſcebat, eam in alios uſus minime eſſe convertendam. Et, amabo te, qua ratione tandem, hanc ſi ellipſin admiſerimus, partem periodi poſteriorem (καὶ ἡ τιμήσῃ κ. τ. λ.) cum parte priori copulabimus ac debite connectemus? Id inter haec animadverto, viro utrique probatam fuiſſe ſententiam, quae comma voci δῶρον ſubjiciendum ac adfigendum eſſe dictitat.

§. XI. Non eſt, quod perhibeamus, Chriſtum ſententiam hanc e Codice Miſchnico depromſiſſe, vel Judaeos eam, e Novo Teſtamento adreptam, in ſchedas ſuas invexiſſe. Norant enim utrique hanc formulam ex vita Judaeorum quotidiana ac receptis Phariſaeorum praeceptiunculis. Ea profecto aetate, qua Chriſtus ſpectabile in terris miniſterium obiit & hanc in Judaeos increpationem emiſit, ritus illi & formulae, quae poſthaec in Codicem Miſchnicum fuerunt collectae, jam tum (t) viguerunt altiſſimasque in animis Judaeorum defixerunt radices. Confirmatos magnopere nos ſentimus in veritate fidei Euangelicae, ſimulac in factorum & rituum recen-

(s) In *Notis* ad LAMBERTI BOS *Ellipſes Graecae*, edit. Lipſ. 1713. 12. *p.* 102. *ſq.*

(t) *Formula ſacra* Obſ. VII. p. 48. ſq.

ſione eos quoque habemus adſtipulantes, qui de reliquo adſectatoribus divinae veritatis ac Chriſto erant inimiciſſimi. Ac hic eſt unus ex illis uſibus, quos peſſimi quique veterum libri Chriſtiano ſuppeditare queunt lectori.

§. XII. Pontificii conflictantur eodem cum naevo, quem Jeſus Phariſaeis exprobravit. Ipſi enim, licere monacho, negant, ſuos ex bonis, hereditate ad ſeſe devolutis, alere vel ab interitu in incolumitatem adſerere. Et quae alia hujus pietatis crudeliſſimae adfertur ratio, ac ea, quam praetexere errori ſuo conſueverant Judaei? Fidem ut dicto faciam, commemorabo ea, quae haud ita pridem MALACHIAS de INGIMBERTO, Clementis XII. Papae, Praefectus bibliothecae & Abbas Ordinis Ciſtercienſis, fuit commentatus. Theologiam coenobiticam ipſe multo labore, judicio haud pari, conſcripſit, eamque Romae edidit (*w*). Tomo ſecundo (*x*) quaeſtionem decidit, an monachus ex bonis, hereditate ad ipſum transmiſſis, ſuos poſſit alere vel ab exitio vindicare? Adfirmandi rationem putat is ſeſe quidem inveniſſe in Eſ. LVIII. 7. & 1. Tim. V. 8. at, negantem ſententiam ajenti longe eſſe praeferendam, intrepide adjungit, perhibens, renuntiaſſe monachum ſemel parentibus, conſanguineis & adfinibus, ac votum de paupertate ſervanda edidiſſe. Ipſe paullo poſt (*y*) laudat illud Hieronymi, ex epiſtola ad Heliodorum: *Per calcatum perge patrem, ſiccis oculis ad vexillum crucis evola, ſolum pietatis genus eſt, in hac parte eſſe crudelem.* Addit teſtimonio Abbas

(*w*) *La Teologia del Chioſtro* 1731. fol. Romae, Tomis III.
(*x*) *Quaeſt.* XV. *cap.* 16. *p.* 58. *ſqq.*
(*y*) Pag. 61.

Digitized by

bas Venerabilis exempla, praedicatque ſummis laudibus Simeonem Stilitam, quem mater ſuperveniens obſecraverit, ut vitam ipſius ſolaretur; tantam vero, refert, in Simeone exſtitiſſe conſtantiam, vel potius pervicaciam, ut ad preces matris ſteterit immobilis velut Marpeſia cautes, eique haud ulla ope ſubvenerit. Laudat inde Theodorum Anachoretam, qui matrem, ipſius videndi cupidam, videre ac cum ea colloqui recuſaverit. Ne ſacra deſit conatui tanto auctoritas, Malachias ſententiam ſuam it corroboratum illis Chriſti verbis, quae litteris conſignata habentur, Matth. X. 37. quaſi is, qui vitae monaſticæ ſeſe addicit, Chriſtum amare ſuper omnia ſit exiſtimandus. De parentibus honorandis ac tuendis divino praemuniti ſumus praecepto atque promiſſo. Quantum vero ad inſtitutionem vitae anachoreticae & coenobiticae attinet, de ea altum in Divino Codice adparet ſilentium. Et cur, quaeſo, Deum colere licet, conculcata altera legis divinae tabula? Caſſianus tamen commemorat (z), & ex eo Abbas Venerabilis tradit, aetate ſua coenobitis in Paleſtina, non amplius videndi parentes, praeceptum fuiſſe inſtillatum. Abbas huc trahit dictum Chriſti, Luc. IX. 12. Quo fine Johannes Climacus (*) Lothum tradit imitandum, qui uxorem neglexerit, ut vitam ſuam ſervaret. Abbas porro laudat dicta, Matth. XII. 50. VI. 24. X. 34. (**) ut oſtendat, votum monaſticum eſſe lege divina majus & praeſtabilius, & hoc votorum monaſticorum praeceptum deducit ex decantata illa fabula de conſiliis Euangelicis, quam Pontificii ex Matth.

(z) *Inſtit.* L. IV. c. 36.
(*) Grad. V. art. 10. 11.
(**) Loco laudato, p. 65.

XIX. ſtabilire elaborant & ex viſione Angeli, Pammachio, ſaeculo IV, in Aegypto facta. Auctor, cum Bernhardo, ſeſe putat, plus, quam pueri in faba, inveniſſe in Matth. X. 36, laudato illo Bernhardi dogmate: *Etſi impium eſt, contemnere matrem, contemnere tamen propter Chriſtum, piiſſimum eſt.* Idem enim, qui dixit illud, Matth. XV. 4, dixit quoque paullo ante, Matth. X. 37. uti ipſe ratiocinatur. Celebrat tandem illud, quod Bernhardus (*a*) pronuntiavit: *Quamdiu de mundo ſumus, debitores nos conſtat eſſe parentibus; at poſtquam reliquimus nosmet ipſos, multo magis ab eorum ſolicitudine liberi ſumus.* THOMAS, II. 2. quaeſt. 101. art. 4. ad 3 & ad 4. de Monacho: *Non debet, occaſione ſuſtentationis parentum, exire clauſtrum, in quo Chriſto conſepelitur & ſe iterum ſaecularibus negotiis implicare.* Idem (*b*) de Monacho tradit: *Per mortem naturalem deobligatur a cura impendenda parentibus, ſicut deobligatur per mortem naturalem.* Unde concludit, ejus, qui non exſiſtat, non eſſe parentibus ſuccurrere. Provocat Abbas deinde ad Matth. X. 34. 36. 37. XII. 49. 50. XIX. 29. VIII. 21. 22. ubi de officio vel Apoſtolorum, vel Chriſtianorum, nihil de monachis, Chriſtus diſſeruit. Tandem ad locum noſtrum, qui Pontificios maxime urit, delabitur, & ad illa loca Eſ. LVIII. 7. & 1. Tim. V. 8. reſpondere & objectionem validiſſimam amoliri ſtudet. (*c*) BASILIUS, ſuo jam tempore, ad priora duo dicta (*d*) reſpondit, ratus, dicta illa ad vivos ſpectare, nequaquam ad eos, qui ſpiritu fuerint mortui ac cum Chriſto

(*a*) *Serm.* II. *de Dom.* I. *poſt Oct. Epiph.*
(*b*) *Quodl.* III. L. I. *qu.* 6. *art.* 2.
(*c*) *Quaeſt.* XVI. p. 75. ſqq.
(*d*) *Conſtitut. Mon.* c. 20.

Chriſto ſepulti. Miſerandae ſunt eorum mentes, qui mortem, qua Chriſtiani ſinceri deſierunt ſtudere illecebris peccatorum, confundunt cum inſtituto illo externo, & humani ingenii invento, quod *Monachiſmum* adpellare conſuevimus. Ne quid tamen Abbas Venerabilis videatur omiſiſſe, telum illud, quod in Monachiſmum ex loco noſtro dirigi ſolet, enervare & infringere molitur. Quamobrem docet, discrimen, votum inter Judaeorum & Monachorum, intercedere graviſſimum. Quod ut oſtendat, tria potiſſimum monet. Primo tradit, Phariſaeos in ſuos parentes fuiſſe inhumanos & avaros, exſtitiſſe diſſimulatores ac hypocritas, nec eos ex voto illo, *Korban* dicto, evaſiſſe religioſos, ſeu Monachos. Contendit deinceps, Phariſaeorum dona conſtitiſſe duntaxat in paucis animalibus; in Monachiſmo autem rem ipſis eſſe antiſtitibus eccleſiae cum anima, ſanguine Chriſti reparata, ad divinas evehenda virtutes. Credit ipſe ad poſtremum, Phariſaeorum oblationem duntaxat fuiſſe externam; monaſticam autem eſſe internam ac divinam. Verum Judaeis vota concipiendi poteſtatem indulſerat Deus nominatim; in Novo Teſtamento de eis nulla indulgetur praeceptio. Phariſaei indubie eamdem ſanctitatem ſuis votis, quibus honorem parentibus praeſtandum proſtraverunt, tribuere conſueverant, quam Monachi votis ſuis tribus eisque ſollemnibus tribuunt in dies. Phariſaei, votis ſuis cultum Dei internum amplificaturi, id egerunt, ut animas expurgarent a vitiorum ſordibus Deoque eas exhiberent illibatas & caſtas. Religio heic quoque obtentui ſumta. Qui Codicem Miſchnicum legerunt, praecipue libellos de *Votis* & *juramentis*, eos admiratio inceſſit, Venerabilem Virum in tanto de Judaeorum oblationibus verſari errore. Oblatio-

nes illae neutiquam ſola reſpiciebant animalia. Id; unde liberi uſum & utilitatem parentum poterant provehere ac amplificare, voto praebuiſſe materiam temerario, Chriſtus docet. Num ſolis animalibus liberi parentibus uſui eſſe poſſunt ac levamento? Quis largietur Malachiae, religioſos eſſe haud alios, ac Monachos? Phariſaei æque ac Monachiſmi propugnatores eodem ſcopo generali ſatisfacere adnituntur; idem utrisque religionis pallium; eadem utrimque parentum contemtio, obtentu religionis ac voti ſervandi invecta. Nonne & Phariſaei ſeſe ſuosque ſectatores a ſaeculi ſecibus jactitabant ſecretos & ſemotos? quidni & illi contenderunt, ſeſe vitae, turbulentae & peccatorum plenae, nuntium miſiſſe? Mira certe effecta oſtentabant Phariſaei de ſqualoribus animi depoſitis ac de animarum purgationibus, intra hanc vitam ſuſceptis & poſt interitum corporis idemtidem, ad plenam uſque munditiem obtinendam, continuandis. Quare vota Monachorum & Phariſaeorum eodem pacto in tabulam ſecundam decalogi ſunt injuria & idea improbanda.

OBS.

OBSERVATIO IV.

De Simone, Cleophae ſocio, in itinere, Emmaunta ſuſcepto. Luc. XXIV. 34.

SYNOPSIS.

§. I. *Simon ille, Luc. XXIV. 34. memoratus, non fuit Petrus.*
§. II. *Particula ὄντως exponenda eſt per* numquid?
§. III. *Simon ille fuit ſocius itineris Emmaunici.*
§. IV. *Simon hic fuit filius Cleophae & Mariae, quae ſoror erat Mariae* Θεοτόκου.
§. V. *Veterum nonnulli haſce duas ſorores perperam pro eadem habuerunt & una.*
§. VI. *Cleopham fuiſſe patrem Simonis, nonnulli quoque veterum credidérunt.*
§. VII. *Errores & haeſitationes veterum circa perſonam & genus Cleophae.*
§. VIII. *Patria Simonis Cana Galilaea.*
§. IX. *De Simonis conjugio, non ſororio, ſed vero. Adduntur nonnulla de thalami abſtinentia, ex Perſarum philoſophia & hiſtoria eccleſiaſtica.*
§. X. *An Simon fuit ſponſus Cananaeus?*
§. XI. *Uſus tractationis indicatur.*

§. I. Diſcipulos duos, in itinere Emmauntico, ad eam adſpiraſſe Chriſti clementiam, ut ipſe eis, a morte & ex ſepulcro redux, ſeſe ſpectan-

ſtandum praebuerit, motius eſt, quam ut copioſe videatur exponendum. Unus ipſorum fuit Cleophas; alter plerumque exiſtimatur notitiam noſtram fallere ac praeterire. Sed quid impedit, quo minus ipſum cum Apoſtolis vocemus *Simonem?* Ex quo enim diſcipuli Emmauntici, Hieroſolyma reverſi, Apoſtolis, Chriſtum ſibi in via ac Emmaunte vivum adparuiſſe, retulerant; Apoſtoli, undecim numero, eis haec objiciebant: ὄντως ἠγέρθη ὁ Κύριος καὶ ὤφθη Σίμωνι. Vulgo per Simonem hunc Petrus intelligitur. Siquis vero omnem enarrationem Lucae evolverit, qua triſtiſſimas a Chriſto exantlatas perpeſſiones, ignominioſiſſimam mortem Chriſti, ejusque glorioſiſſimum e ſepulcro ac morte in vitam reditum fuit, complexus; is omnino deprehendet, Petrum nuſpiam a Luca vocari Simonem. Conferant & evolvant, quaeſo, illi, quibus volupe eſt, Lucae capita XXII. 8. 34. 54. 58. 61. 62. XXIV. 12. Antequam diſcipuli Emmaunte Hieroſolymam rediiſſent, Petrus Jeſum redivivum nondum vidit. Quum enim ipſe ſepulcrum inſpiceret, lintea ſepulcralia duntaxat conſpexit, Jeſum e ſepulcro digreſſum non vidit ipſum. Luc. XXIV. 12. Joan. XX. 6. Joannes addit, ſudarium, ſeu faſciam capitis a Petro peraeque fuiſſe viſam, *v.* 7. Idem docet perſpicue, Petrum & Joannem, eo conſpectu perfunctos, domum ad ſuos rediiſſe, *v.* 10. Quae ſingula eo fine in medium profero, nequis verba: ὁ Κύριος ὤφθη Σίμωνι, ita accipiat, perinde ac ſi ceteri Apoſtoli credidiſſent, Chriſtum redivivum tunc a Petro fuiſſe conſpectum.

§. II. Quod ipſum momentum nonnullis (*a*) tanti vi-

(*a*) Cl. SIMON BENEDICTUS TYMPIUS, in Diſſ. de *Davidis ultimis verbis*, §. 35. p. 708. col. 2. Tom. I. *Theſauri*

viſum fuit, ut verba illa per modum interrogationis extulerint, idque in hunc modum: ὄτι ἠγέρθη ὁ κύριος κ. τ. λ. *num Dominus re ipſa a mortuis fuit excitatus ac Simoni adparuit?* Apoſtoli enim ac eorum ſodales, eo tempore, Jeſum a mortuis revixiſſe, non credebant. Marc. XVI. 12. 13. Quare vox illa omnino videtur fuiſſe dubitantium, necdum credentium, fieri potuiſſe, ut Meſſias triumphum de ſatana, peccato & morte egerit. Vocula ὅτι ſolet ſubſtitui ebraicae particulae כי. Eadem ratione vox ὅτι ſumenda eſt in illa ſancti Pauli propoſitione, 1 Cor. X. 19. Τι οὖν φημί; ὅτι εἰδωλόθυτόν τί ἐστιν; ἢ ὅτι εἰδωλόθυτόν τί ἐστιν; Haec enim non poteſt non, ut ſenſus ac contextus orationis ſibi conſtet, ita in Latinum converti: *Quid igitur dico? num idolum re ipſa quidquam eſt? aut num illud, quod ſimulacro immolatur, eſt quidquam?* Paulus exiſtimat, nullam vim divinam, quae ſit veneranda, ineſſe ſimulacris & commentitiis numinibus, quae iis repraeſentabantur. (*b*) NOLDIUS voculae ὅτι eamdem poteſtatem tribuit, obviae Luc. I. 25. Joan. XI. 56. Finge idcirco, Petrum jam oculis ſuis vidiſſe id, quod ſpectare avebat, ſcilicet Jeſum, e mortuis excitatum. Finge porro, ipſum ac reliquos Apoſtolos dixiſſe: num Jeſus, qui revixit, Simoni Petro adparuit? Cui tandem ſit veroſimile, Petrum cum ceteris Apoſtolis haec de ſemet diſſeruiſſe? Objicis fortaſſe, Petrum domo tum abfuiſſe, reliquorumque Apoſtolorum hunc fuiſſe ſermonem. Verum quis ignorat, Apoſtolorum undecim,

ſauri novi Theologico-Philologici, qui ex Muſeo Theodori Haſaei & Conradi Ikenii, 1732. fol. prodiit Lugduni Batavorum & Amſtelaedami.

(*b*) In *Concordantiis particularum Ebraeo-Chaldaicarum*, p. 368. edit. Jen. 1734. 4.

decim, id est omnium, eam tunc fuisse vocem? Discipuli certe Emmauntici, eique Hierosolymam reversi, inveniebant congregatos ibi undecim Apostolos, illorumque socios, quorum omnium eadem erat vox: *num Dominus ille resurrexit vivus e sepulcro? ac num adparuit Simoni?* Hic etiam Petri fuit sermo, qui tum haud aberat, quemque cum ceteris Jesus, ex inopinato clausis januis in conclavi praesens ac conspectus, increpavit, notata ejus pervicacia, qua praepeditus discipulis, Emmaunte reversis, ac, Jesum redivivum a sese esse conspectum, nuntiantibus, fidem habere recusaverat. (c) Petro id videbatur insulsum prorsus, Christum primum quidem a Cleopha & Simone fuisse conspectum, ratus, hunc honorem sibi deberi, sese excellentia & aetate muneris Apostolici ceteris esse praeferendum, sese sepulcro praesto fuisse, nec tamen spectasse herum suum, vel intra vel extra sepulcri limites. Incredibile id Petro visum, sese nunc reliquis postponi posse, qui omnium rerum antea penes Dominum fuerit primus, & qui magistro adfuerat, quum reliquis Apostolis fuerat recedendum. Eam ob causam per interrogationes dubitationem suam protulit, credens, Jesum, si ulli adparuisset, sibi omnino ante omnes ceteros fuisse vivum adpariturum.

§. III. Quid inde autem facilius conficitur ac demonstratur, quam Simonem fuisse alterum e discipulis Emmaunticis, cui Jesus sese vivum praebuerat spectandum, Simonem, inquam, a Petro penitus diversum. Ut ipsum igitur propius intueamur ac nosse coemur distinctius, commemorandum est unum & alterum. Discipuli, Emmauntem profecti, vocantur *duo ex illis*, δύο ἐξ αὐτῶν, Luc. XXIV. 13. at ex

(c) Marc. XVI. 12. 13. 14.

ex quibusnam? quorsum haec, obsecro, sunt referenda? De Apostolis paullo ante, *v.* 11. ac de Petro, *v.* 12. fuerat facta mentio. Verum ab Apostolis distinguuntur discipuli Emmauntici, *v.* 33. Quid itaque restat, nisi ut eas personas expiscemur, de quibus in remotiori inciso fit mentio? Id si fecerimus, incidemus in *πάντας τὺς λοιπὺς*, in *omnes illos reliquos*, qui cum Apostolis versari & commorari solebant. De hisce ingerit mentionem Lucas, *v.* 9. Sed hac ratione nondum id evicimus, quod suscepimus demonstrandum, nisi ostendatur, Simonem quemdam exstitisse, ab Apostolis diversum, qui tamen discipulus & adsectator Christi comesque Apostolorum perpetuus fuerit.

§. IV. Obviam nobis venit Simon, ex familia ac domo Cleophae ortus. Mater Simonis fuit Maria, *θεοδότη* soror. Maritus illius Mariae fuit Cleophas, quem Syrus חלפי vocat, Graeci vero saepius Alphaeum vocarunt. Communes utriusque liberi fuerunt Jacobus minor, alias Lebbaeus (*) ac Thaddaeus dictus: Judas minor & Joses, Marc. XV. 40. Lucas *Mariam* vocat *Jacobi*, nempe matrem, c. XXIV. 10. Idem *Jacobus* vocatur *Alphaei*, nempe filius, Act. I. 13. *Judas* vero, minor scilicet, dicitur ibidem *Jacobi*, nempe frater. Judas ipse, sub initium epistolae suae, vocat sese *fratrem Jacobi*, non senioris, sed junioris. Jacobus enim senior erat Petri frater. Illi vero, qui ex Alphaeo & Maria erant nati, solent adpellari fratres Jesu, id est, sororii. Ipsis vitio vertitur, Joan. VII. 5. quod in Jesum initio haud crediderint. Ipsi interrumpere aliquando ser-

(*) Lebbaeum vocant Ebraei לֵבְיָא *leonem*. Idem Lebbaeus fuit ille Levi publicanus, de quo differitur Marc. II. 14. Levi ille fuit Alphaei filius, ut ibidem additur.

ſermonem Chriſti ſaluberrimum moliebantur, Matth. XII. 46. Maria certe, ſoror Mariae θεοτόκου, dilucide vocatur ἡ τῦ Κλωπᾶ, *uxor Cleophae*, Joan. XIX. 25. At eadem exſtitit uxor Alphaei. Quid igitur eſt clarius ac demonſtratu facilius, quam Alphaeum a Clopa ſeu Cleopha haud differre? Cleopan & Clopan fuiſſe virum eumdem, jam exiſtimavit Joannes Saubertus (*d*). Alphaei filius quartus fuit Simon, quod mihi quidem ex Marc. VI. 3. videtur conſtare, ubi filii Mariae, quae erat ſoror θεοτόκου, tanquam fratres Chriſti, recenſentur, *Jacobus* ſcilicet, *Joſes*, *Judas* & *Simon*. (*) De ſingulis idem praedicatur. Singuli hi nulla prorſus ratione differunt, ratione, inquam, conſanguinitatis, ad Chriſtum relatae. Quae quum ita ſint, Cleophas exſtitit pater, & Simon ejus fuit filius, uterque itineris Emmauntici ſocius & conſors. Ut complexum & nexum generis cuicunque planum faciam, tabulae genealogicae opinionem, de qua diſſerui & quam pro vera reputo, includere conſtitui.

En illam:

Eli, Luc. III. 24.

Maria, mater Jeſu.	*Maria* uxor Alphaei, qui Klopas & Cleophas dicitur

Jeſus — *Jacobus minor*, *Joſes*. *Judas minor*. *Simon*. Thaddaeus, Lebbaeus, & Levi dictus — Ju-

(*d*) In *Prolegomenis variarum lectionum textus graeci Euangelii S. Matthaei*, p. 14.

(*) Vir illuſtris J. G. PERTSCHIUS, Saec. I. *Verſuch einer Kirchenhiſtorie*, Cap X. Sect. I. §. 45. p. 194. Simonem habet pro Jacobi minoris ac Judae fratre, ad minimum conſanguineo.

Digitized by Google

Judaei huic tabulae genealogicae ſuum addunt quoque Matth. XIII. 55. teſtimonium. Adpellant ipſi per ludibria & pravitatem eum, qui ſalutis noſtrae effector ac magiſter exſtitit, filium fabri. Adpellant matrem ejus ſenſu erroneo Mariam, rati, ipſum modo conſueto ac ordinario fuiſſe generatum. Adpellant ipſi *fratres Jeſu Jacobum & Joſen, & Simonem, & Judam.* Jacobum hunc Paulus etiam *fratrem Domini* adpellavit, Gal. I. 19. Si vel maxime Simonem ab eodem conſanguinitatis gradu, quo Jacobus & Judas & Joſes Jeſum contigerunt, remoturi eſſemus, nulla tamen inveniri poſſet ratio, quae conatui illi foret adjumento. Ipſe aeque vocatur *frater Jeſu*, ac Jacobus & Judas, non ab uno, ſed ab utroque, Euangeliſtarum. Ipſe eodem reſpectu ad Jeſum eſt referendus, ac Jacobus & Judas, quos Mariae fuiſſe filios manifeſtum eſt & exploratum.

§. V. Mariam utramque, Jeſu matrem & Alphaei uxorem, fuiſſe perſonam eamdem, nonnulli veterum docuerunt. TERTULLIANUS (*e*) & VICTORINUS, *de Petavion* (*f*) dictus, Jacobum, cum Joſe, Simone & Juda, ex Maria, Jeſu matre, & Joſepho, poſt Jeſum in lucem editum, fuiſſe genitum & natum, crediderunt. Alii exiſtimarunt, Joſepho fuiſſe uxorem aliam, quae jam diem ſuum obierit, antequam is Mariam ſibi deſponderit. Auctor Proteuangelii, quod Jacobo tribui ſolet, ſenſit ita. Opinionem eamdem videas ſpargi in *Euangelio Petri* & *Hiſtoria Joſephi*, ex Arabico in Latinum converſa. De priori ſententia ac poſteriori decerptum fuit commentum illud, quod Joſephus & Alphaeus in-

(*e*) de *Monogamia*, c. 8.
(*f*) Apud Helvidium & ex eo apud Hieronymum *adv. Helvidium* c. 9.

inter ſeſe haud differant. Poſteriorem facile ex eo licet refellere, quod Maria, Jacobi minoris ejusque fratrum mater, vixerit adhuc, quum Jeſus ſepultus terraeque mandatus eſſet. Prior ſententia majorem tenet probabilitatis gradum, ideoque videtur minus inſulſa. Id tamen attentione noſtra dignum eſt, quod *mater Jeſu* vocari ſoleat ἡ μήτηρ τοῦ Ἰησοῦ, Act. I. 14. Joan. XIX. 15. ac alibi. *Maria* vero quaedam fuit a Deipara prorſus diverſa, ac Maria Deiparae ſoror. Id perquam eſt evidens ac perſpicuum ex eodem Johanne, XIX. 15. Haec Maria, Mariae Θεοτόκου ſoror, fuit uxor non Joſephi, fabri illius, ſed Clopae, quod rurſus ex eodem Joannis loco innoteſcit. Quum vero Syrus, conſuetudine Syrorum uſus, novi foederis interpres, Alphaeum adpellaverit חלפי Matth. X. 3, id extra controverſiam eſt poſitum, quod Clopas ſeu Cleophas, & Alphaeus, haud discrepent. Quae quum ita ſint, *Maria* mater Jeſu, nec non *Maria*, Jacobi minoris noſtrique Simonis mater, omnino fuerunt perſonae diverſae: ac nihil minus veritati reſpondet, quam ſcitum illud, nonnullis probatum, quo perhibent, Alphaeum & Joſephum, Mariae ſponſum, fuiſſe unum & eumdem. De reliquo haud alienum ab inſtituto arbitror, lectori commendare ea, quae cōpioſius & ex profeſſo de fratribus ac ſororibus Chriſti collegit COTELERIUS (*g*): Quod autem Mariae utrique adſignaverim patrem Eli, id factum vel omiſſum eſt ex cauſſa ſatis gravi. Quidquid enim de Joachimo ac Anna, utriusque Mariae parentibus circumfertur, illud innitur libello, fide prorſus indigno, quod

(*g*) Ad *Conſtitut. Apoſtol.* p. 277. ſq.

quod *Euangelium de nativitate Mariae* inſcribitur (*h*). Matthaeus quoque Euangeliſta fingitur auctor duorum librorum, quorum alter *de Ortu & ſtirpe Mariae*; alter *de Infantia Salvatoris* inſcribitur, qui Valentinianorum & Gnoſticorum commenta ſunt (*i*). Hiſce auctoribus, quorum vera notitia nos fugit, hiſce libellis, quorum fides laborat, ſanctus ille Joachimus & ſancta illa Anna originem ſuam & incunabula debent. Qua cauſſa adductus dudum fuit Iſaacus de Beauſobre, hiſtoriae eccleſiaſticae ſummus magiſter, ut ita judicaret (*k*): " *Dans quels livres plus ancient,* „ *que ce fatras d'Apocryphes, trouvet-on, que le Pere* „ *de Marie s'appelloit Joachim & ſa Mere Anne?*" *In quibusnam libris, qui hac libellorum Apocryphorum congerie indigeſta ſunt antiquiores, deprehenditur relatum, patrem Mariae adpellatum fuiſſe Joachimum, matrem vero ejus Annam?*

§. VI. Si igitur Simonem hunc diſtincte noverimus, Cleopham haud licet amplius ignorare, Simonis quippe patrem. Quod ipſum veteribus ſacrae rei ſtatoribus ac Chriſtianae doctrinae magiſtris adeo obſcurum haud fuit, ut teſtimonia potius ſuperſint, ex quibus intelligitur, eos Simeonem, ſeu Simonem, pro Cleophae filio habuiſſe. In *Conſtitutionum Apoſtolicarum* (*l*) congerie commemoratum legimus, Simeonem, rei ſacrae Hieroſolymis poſt Jacobum utique antiſtitem, Cleophae exſtitiſſe filium. HEGE-

(*h*) In JOANNIS ALBERTI FABRICII *Codice Apocrypho N. T.* p. 19. ſqq.

(*i*) Verba repeto SIXTI *Senenſis*, ex ejus *Bibliotheca*, L. II. p. 107.

(*k*) *Hiſtoire Critique de Manichée & du Manichéisme*, Tom. I. L. II. c. 2. §. 10. p. 364. edit. 1734. 4. Amſtelod.

(*l*) L. VII. c. 46.

SIPPUS & ex eo EUSEBIUS (*m*) teſtantur, imperante Trajano, in Chriſtianos carptim & oppidatim concitatam fuiſſe perſecutionem, atque in hac Symeonem, *Cleopae filium*, qui Jacobo in Jeroſolymitana ſede, anno LXII. ſucceſſerit, martyrio cruento vitam finiiſſe. Detulerant autem, Symeonem non duntaxat eſſe Chriſtianum, ſed etiam e Davidis proſapia oriundum eſſe, ei, qui virum innocentiſſimum accuſaverant, ut eum redderent inviſum Romanis novarumque rerum ſuſpectum facerent penes Atticum, Conſularem legatum, Syriae Praeſidem. Accuſatores erant Judaei, qui ipſi e regia Davidis domo originem trahebant, licet id tunc propemodum cuicunque eſſet incompertum. Symeon in judicium raptus variisque tormentorum generibus per plures dies cruciatus, fuit cum judici, tum iis, qui forte aderant, admirationi, tandemque, centum & viginti annos natus, eodem ſupplicio, quod Chriſtus tulit, vitam cum morte commutavit. Anno CXVI. id contigiſſe, conjectant HENRICUS DODWELLUS, GUILIELMUS LOYDIUS, & ANTONIUS PAGIUS, quibus JOANNES CLERICUS haud intercedit, licet tempus mortis accurate non audeat determinare. Miror, cur nemini adhuc eruditorum in mentem venerit, Jacobum majorem, vel hunc Symeonem, ſeu Simonem, potuiſſe ſcribere epiſtolam ad Ebraeos, quam Paulo probabiliſſime adtribuimus.

§. VII. Cleopham, Simonis patrem, veteres habuerunt pro Joſephi fabri nunc fratre (*n*), nunc filio. Liber regius manuſcriptus Pariſinus, 2374. inter alia, ſi Cotelerio credimus, haec habet: Ὁ Κλεοπᾶς υἱὸς

(*m*) H. E. L. III c. 32.
(*n*) TILLEMONT, dans ſes *Memoires ſur S. Jaque mineur*, art. I. p. 999. & not. 2. p. 1126.

Digitized by Google

υἱὸς ἦν Ἰωσὴφ τῦ μνήστορος. *Cleophas filius erat Josephi sponsi.* Graeci ad XXX Junii: Κλωπᾶς, υἱὸς Ἰωσὴφ, ἀδελφὸς Ἰακώβυ. Alii (o) conjecturis suis eo usque indulserunt, ut Cleopam ac Simeonem unum eumdemque fuisse virum, & sibi & aliis iverint persuasum. Simon utique fuit frater illius Josephi, qui in Sacro Codice *Joses* adpellatur, siquidem ex communi matre, Maria, sorore Θεοτόκυ, uterque fuit natus. Id vero prorsus est improbabile, ni incertum, quod vulgo proferunt, videlicet Josephum, Mariae Deiparae sponsum, exstitisse Cleophae patrem. Siquid enim ex eo tempore, quo Josephus faber antecessit Cleopham, colligere licet, Cleophas eadem aetate floruit vixitque propemodum, qua Josephus rebus interfuit humanis, ac eodem circiter tempore uxorem duxit, quo Josephus faber cum Maria sponsalia celebrare constituit, siquidem Christus Apostolos aetatis satis provectae delegit, quibus graviſſimum Euangelii docendi ministerium imponeret ac traderet. Josephus, Mariae sponsus, eo quidem tempore, quo Jesus in coelum fuit subvectus, demortuorum ordini jam adscriptus erat. At, quum Jesus ministerium docendi spectabile iniret, ipse videtur omnino fuisse in vivis, si loca perpenderimus, quae Luc. III. 23. IV. 22. Joan. VI. 42. Matth. XIII. 55. leguntur, Pone tamen ac finge, mentionem Josephi hujus nullam in actis ministerii Christi exstare; nonne & hoc pacto illud persistit immotum, quod Cleophae filii exstiterint ejusdem aetatis, ad quam Christus homo, in terra versans, pervenit? Quae ratio mihi tanti ponderis esse videtur, ut,

(o) COTELERIUS, in *notis* ad Tom. I. *Bibliothecae Patrum Apostolicorum*, p. 382. edit. Joan. Clerici.

Cleopham Joſephi exſtitiſſe filium, mihi prorſus fiat vero abſimile.

§. VIII. Patriam Simonis, ac Cleophae patris, inveſtigare, operae tandem erit pretium. Veteribus ea fuit probata opinio, quae, Simonem in urbe Galilaeae Cana natum fuiſſe, perhibet. Frater ejus Judas vocatur non ſolum Lebbaeus ac Thaddaeus, ſed etiam Καναναῖτης, *Cananita*, *Zelotes*, ab eis, qui eum cum Simone Cananita eumdem exſtitiſſe exiſtimant. (*p*) Auctor hiſtoriae Apoſtolicae, quam Abdiae eſſe putant vulgo, in limine libri ſexti ita diſſerit: SIMON, *Chananaeus cognomine*, *ac* JUDAS, *qui & Thaddaeus*, *&* JACOBUS, *quem fratrem Domini adpellant*, *fratres germani fuerunt*, *ex Cana Galilaeae oriundi*, *parentibus Alphaeo & Maria*, *Cleophae filia*. Pronuntiato huic vera inſunt nonnulla. Simonem vero noſtrum, Alphaei ſeu Cleophae filium, a Simone Cananita, Apoſtolo, haud differre, ac Mariam, Jacobi minoris matrem, Cleophae fuiſſe filiam, nemo facile ſibi perſuadebit. Simonem Cananitam a Simone, Epiſcopo Hieroſolymitano, curate eſſe diſtinguendum, Vir Illuſtris, JOANNES GEORGIUS PERTSCHIUS, Conſiliarius Regis Magnae Britanniae merentiſſimus, (*q*) praecipit. Ac eo ipſo evicimus, noſtrum, de quo diſſerimus, Simonem ab Apoſtolo Simone Cananita ſatis fuiſſe diverſum, ſiquidem comprobatum ivimus, Simonem, fratrem Jacobi, Judae & Joſes, exſtitiſſe illum commemorabili

(*p*) *Theodorus* HASAEUS, in *Diſſert. de Naphthalitide Apoſtolorum patria*, c. 11. §. 22. p. 115. ſq. in Sylloge ejus Diſſertationum & Obſervationum Philologicarum, Bremae editarum, A. 1731. 8.

(*q*) In *Verſuch einer Kirchen Hiſtorie*, Saec. I. cap. X. Sect. I. §. 53. p. 205.

Digitized by Google

nabili pietate ac fide excellentem Eccleſiae Hieroſolymitanae Epiſcopum. De patria Simonis noſtri perſpicuus exſtat locus in Codice Judaico, cui Talmud eſt nomen. Memoratur enim in eo (*r*) חנוצרי אחד מתלמידי ישו *Unus ex diſcipulis Jeſu Nazareni*, ויעקוב איש כפר סכניא שמה *cujus nomen fuerit Jacobus, ortus in vico, cui nomen Secaniah.* Vicus ille *Secaniah* ab Hadriano Relando, in praeſtantiſſimo *Palaeſtinae* opere, fuit praetermiſſus. Solebant vero Syri ac Judaeorum doctores Palaeſtini, quos Rabbinos adpellamus, nominibus propriis litteram ם vel ש praeponere, nonnunquam quoque eis, quae communia & adpellativa vocamus. Si igitur Apoſtoli fuerunt (*s*) *Galilaei*, quod nemo ambigit, ac Jacobus minor ex Cana Galilaeae fuit oriundus; quid tum fieri poteſt probabilius, quam Simonem noſtrum, Jacobi minoris fratrem, eumdem vicum habuiſſe natalem?

§. IX. Supereſt una & altera quaeſtio, quae videtur eſſe expedienda, antequam Simonem dimittamus. Quaeri enim poteſt, an Simon duxerit uxo-

 rem?

(*r*) Talmud Babylon. in *Avoda ſara* c. 1. f. 17. 1. & *Toſaphoth* fol. 27. 2. Conf. Talmud. Hieroſ. *Avod. Sar.* c. 2. fol. 40. col. 4. & *Schabbat*, c. 14. fol. 14. col. 4. *Midras Cohelet*, fol. 89. col. 3. & in *Sanhedrin*, c. VI. fol. 23. col. 2. R. ABRAHAM PERITZOL, in libro adhuc inedito, cui titulum dedit, *Clipeum Abrahami* inſcriptum, מגן אברהם, c. 58. COCCEJI *Ultima Moſis* §. 1103. *Joannes* BUXTORF. in *Lexico maximo*, in voce בפר p. 1080. GEORG. ELIESER EDZARDUS, in *notis ad Avoda Sara* p. 299. ſqq. CHRISTIANI NOLDII *Hiſtoria Idumaea*, p. 644. THEODORUS HASAEUS, l. c. §. 23. p. 117. qui teſtimonia aliorum collegit.

(*s*) Act. I. 11.

rem? quaeri porro poteſt, an ipſe fuerit ſponſus ille, ad cujus nuptias Jeſus in Cana Galilaeae divertit? Priorem quaeſtionem jam tum luce ſua perfudit Paulus, adfirmans, *fratres Jeſu & Cephan* munus ſuum ita obire, ut ipſi uxorem, itinerum comitem individuam, trahant ſecum & circumducant. (*t*) Fratres enim Jeſu fuerunt Jacobus minor, Judas Thaddaeus, Joſes & Simon ille, de quo tractationem hanc ſuſcepimus. Memoriae proditum eſt, ipſos uxores habuiſſe, quae adpellatae fuerint *ſorores*. Sunt, qui ἀδελφὴν γυναῖκα, *ſororem uxorem*, exponunt per uxorem, quae in ſororem cedit per mutuam ad tempus abſtinentiam, vel omnem ex conſenſu utriuſque a Venere inhibitam voluptatem. Oxonienſes ad *Hermae paſtorem* (*u*) adtulerunt varia exempla, queis id comprobatum eſſe arbitrantur. COTELERIUS (*x*) praeterea addidit e ſcriptoribus primae eccleſiae documenta non una, quibus, caſtitatem primorum Chriſtianorum conjugalem fuiſſe admodum praeſtabilem ac eximiam, perſuadet. Ipſis praecipue, qui celibem ordinis epiſcopalis ac ſacerdotalis vitam admirantur, ac conjugia, quantumvis honeſtiſſima & pie transacta, contemnunt, ſeſe huc illuc vertunt nullique parcendum operae exiſtimant, dummodo illud obtinere ac a lectore impetrare valeant, quod ipſis ad primaria doctrinarum ſuarum vincula videtur eſſe accommodatiſſimum. Vitam monachorum, vitam virginum, a conjugio remotarum, vitam epiſcoporum, ab uxoribus abhorrentem, magnum eſſe, ad regni divini beatitudinem capeſſendam, gra-

(*t*) 1 Cor. IX. 5.
(*u*) Tom. I. Cotelerii, p. 25.
(*x*) Ibidem p. 70. ſq.

Digitized by Google

gradum, eidem ſanciunt & decernunt. Nec eſt, quod credamus, opinionem hanc, ſanctitatis fuco ſeſe commendantem, nudius tertius fuiſſe enatam. Divinus gentium doctor, Paulus, ſua jam aetate, de nonnullis mendaciorum diſſeminatoribus conqueritur, quos vocat ψευδολόγους, quorum inter alia hoc exſtiterit dogma palmarium, matrimonia ab eis, qui vitam ſanctam Deoque probatam degere cupiant, eſſe fugienda & vitanda. (y) Fons erroris ex Manichaeismo, vel potius antiqua Perſarum philoſophia eſt arceſſendus. Quis enim tam rudis ac in ſcriptis veterum inexercitatus eſt hoſpes, quem fugiat, Philoſophos Orientales corpus ac materiam dixiſſe mali fomitem, ac Arimanii, Dei ipſorum alterius ejusque inclementis, inſtrumentum. Ex hac ſcaturigine biberunt Docetae, qui, ut JESUM peccati omnis immunem crederent ac id ipſum ſuis cum opinionibus in concordiam redigere poſſent, eo audaciae ſunt progreſſi, ut, Jeſum corpore vero & humano eſſe ac fuiſſe praeditum, negarent. E Docetarum grege ſurrexit Marcion, qui aetatem diſcipulorum Chriſti adtigit vivendo, ac idem ſcitum, ſeu conſultum, ex errore proficiſcens, ſuo adſenſu corroboravit. Ex eodem errore ſtatus conjugii non poterat non videri vilis, reprehendendus, ac per ſeſe peccatis involutus. Marcionis diſcipulum egit Leucas, qui etiam aliis nominibus eſt famoſus. Vocatur ipſe praeterea Lucas, Lucius, Leicius, Leuticius, Leontius, Lentius & Seleucus. Ipſe librorum Apocryphorum fere innumerabilium fuit auctor & compilator, mediumque ſaeculi a nato Jeſu ſecundi vel illuſtravit vel potius fedavit. Error idem per Montaniſtas ac Manichaeos ad ſaecula remotiora fuit pro-

(y) 1 Tim. IV. 2. 3.

pagarus. Chriſtianorum in Aſia praecipui erant Docetae, uti pateſcit ex epiſtola Joannis prima, ex epiſtola Epiſcopi Ignatii, ad Smyrnenſes data, n. 6. p. 36. eademque interpolata, p. 89. Leucam Joannis fuiſſe diſcipulum, & divinitatem Chriſti contra Ebionitas vindicaſſe, refert EPIPHANIUS (z). Humanum ſcilicet verumque corpus ei fuiſſe, negavit; non poterat itaque, quin divinam ejus naturam ac ſubſtantiam propugnaret. Joannes ille indubie fuit, non Apoſtolus ille divinus, ſed Presbyter aliquis, quemadmodum id & aetatis & doctrinae depravatae ratio indicat. Librum Leucas, in quo damnavit matrimonium, de *Nativitate Mariae* conſcripſit. Encratitae conjugia pro ſtatu habebant imperfectionis; Docetae ceteri (*) ea pro ſtatu per ſeſe malo & exitioſo reputabant, contendentes, Mariam & Joſephum in ſtatu continentiae perpetuo vixiſſe, Chriſtum haudquaquam duxiſſe uxorem, & ipſum Paulum celibatui magis, quam matrimonio faviſſe. Hiſce argumentis id ſeſe adfecutos credebant, quod inde nec effici, nec cogi poteſt. Nihiloſecius ſucceſſu temporis conjugium hominibus proletariis, qui vix ſanctitatis gradum adtingunt exiguum, videbatur eſſe reſervandum; ipſos vero, qui ſolidam integramque ſanctitatem adſectabantur, merito abhorrere a conjugiis, complures docuerunt. Pars ſententiae Docetarum una fuit retenta; pars altera repudiata. Hieronymus in primis ſtatum monaſticum ac celibem tantis praedicavit extulitque laudibus, ut parum abfuerit, quin errorem Docetarum revocaret, ac

(z) *Haer.* LI. n. 6. p 427.

(*) Confer ISAACI *de* BEAUSOBRE, viri ſumme venerandi Tom. I. Lib. II. *Hiſtoire Critique de Manichéen et de Manichéisme*, c. 2. p. 348. ſqq.

ac Euſtathium, Sebaſtiae in Armenia Epiſcopum, in concilio Gangrenſi, quod nuptias crederet per ſeſe eſſe peccatis infectas ac repudiandas, condemnatum (**), imitaretur. Ei, qui ſanctitatem Apoſtolorum reverebantur ſummoque colebant ſtudio, ac ſimul celibatum inter ſanctitatis amplificandae praeſidia referebant, arbitrabantur, ſeſe ſanctitati Apoſtolorum defendendae haud aptius poſſe ſuppetias ferre, quam ſi, eos uxores duxiſſe, non ob conjugale debitum ac ob prolem conſequendam, ſed ob ſororium abſtinentiae conſortium, exiſtimarent. Ex hoc fonte expoſitiones illae profluxerunt, quibus γυνὴ ἀδελφὴ, *ſoror uxor*, habetur pro conjuge, quae mutuo fuerit adjumento duntaxat, de reliquo autem ab omni concubitu cum marito ſibi temperaverit. Verum quid prohibet, quo minus per *ſororem* intelligamus eam, quae & nomine & re ipſa erat Chriſtiana? Chriſtianos enim ea aetate dictos fuiſſe *fratres*, Chriſtianas autem *ſorores*, quis ignorat? Paulus profecto nec perpetuam abſtinentiam ab ullo conjugum expetiit poſtulavitque ſervandam, nec eis, qui donum abſtinentiae, & natura duce & temperantia animi corporisque magiſtra, haud obtinuerunt, celibatum ſuaſit, quod ipſum illico pateſcit, dummodo ad ea, quae 1. Cor. VII. 3. 4. 5. 9. leguntur, animum adtendamus. Suffragatur ſententiae meae copia exemplorum. Epiſcopi enim, Presbyteri & Diaconi primae Eccleſiae ducebant (a) uxores, e quibus liberos procreabant. Temperantiam animi corporisque eam, quae celibem cuſtodiebat ac ſervabat vitam, a ſpiritu

(**) SOCRATES, H. E. II. 43. SOZOMENUS, IV. 24.

(a) *Canon Apoſtol.* 5. & BEVEREGIUS, in *Annot. ad Can. Apoſtol.* p. 458. Tom. I. Coteler.

divino obtinebant Chriſtiani primi, non ab artibus, extrinſecus adhibitis, arceſſebant. Paulus enim hanc temperantiam adpellat (*b*) χάρισμα, hoc eſt, donum Dei ſingulare; quo inſtruit nonnullos pro arbitratu, ſibi morigeros. Quum autem *charismata* non eſſent ſingulis Chriſtianorum communia, nec a quocunque, licet preces eam ob cauſſam ad Deum directurus fuiſſet, poſſent impetrari; luculentum ſane eſt, Apoſtolorum & Chriſti diſcipulorum plerosque, (*c*) ob rationem ſatis validam, ſeſe obſtrinxiſſe vitae conjugali.

§. X. Simonem, Hieroſolymitanum Epiſcopum poſthaec, exſtitiſſe olim ſponſum illum, cujus nuptiis Servator ac Soſpitator optimus interfuit, cum matre juxta ac diſcipulis ſuis, nonnulli veterum adfirmant. (*d*) Momenta hiſtoriae nonnulla efficiunt, ut commemoratio illa haud prorſus debeat videri improbabilis. Haud obſtat aetas Simonis. Ipſe Simon patriam nactus fuit illam Canam Galilaeae. Nuptias illas eorum fuiſſe, qui Jeſum arcto conſanguinitatis gradu contigerunt, omnino ſit veroſimile. Ubinam enim praeterea legimus relatum, Soſpitatorem interfuiſſe nuptiis? At quinam propiori conſanguinitate Jeſum contingebant, quam ei, qui plerumque & paſſim fratres ejus adpellantur? Deſunt tamen nonnulla argumenta, quorum pondere ſententiam hanc vel ad evidentiam vel ad probabilitatem deducere licet, quamvis haud temere narraverit Joannes Euangeliſta, Mariam, Jeſu matrem, adparandis nuptiis eisque

(*b*) 1 Cor. VII. 7.

(*c*) JOAN. ANDREAE SCHMIDII. de *Apoſtolis uxoratis*, Diſſ.

(*d*) De Simone Cananita id vulgo refertur; quod de noſtro etiam commemoratum accepi.

que dirigendis Canae praesto fuisse, quum Jesus ac discipuli ejus, ut iis interessent, demum invitarentur. Si dicere licet, quod res ipsa exigit, argumenta, quae fuerunt adlata, pariter Jacobo minori, Judae Thaddaeo & Jose, ac Simoni nostro, honorem sponsaliorum & nuptiarum relinquunt communem, adeo ut tam uni, quam alteri ea aequaliter faveant. Incidit quoque ille scrupulus, quod discipuli Christi fuerint ad nuptias invitati, quos inter erant quatuor ex Alphaeo nati filii, ad minimum aetate illa, quae resurrectionem Christi glorioſam haud ita multo post antecessit. Verum ad eruditionem id quoque spectat, cum virtute ac pietate conjunctam, ea scire nolle, quae Deus nobis patefacere haud est dignatus.

§. XI. Lector fortassis cogitabit, meam hanc tractationem in re magis curiosa, quam salubri, esse positam. Si quis Mysticorum commentationes ejusmodi oculis suis usurpaverit, non potest sese tenere, quin de taediis, de quisquiliis, de rebus momenti nullius, satis operose expositis, proferat reprehensiones, purpurisso pietatis ornatas. Ut utrisque faciam satis meque purgem, monere licet perpauca. Id vero inprimis e re Christiana esse arbitror, ut a sacris litteris difficultas ea removeatur universa, quae ad contradictionum ipsis insitarum speciem videtur referenda. Quis enim doctrinis eis, quae divinioribus litteris, seu Bibliis, continentur, rationes vitae suae, tum tranquille, tum feliciter instituendae, superstruet, si eas invicem repugnare ac fronte velut adversa oppositas esse crediderit? Illud jam egi, ut scrupulum lectoribus sacri Codicis eximerem haud exiguum. Nonne enim id contradictionis videtur esse plenum, si duae hae propositiones inter sese com-

comparantur, quarum haec eſt una: *Petrus Jeſum ipſum, qui revixerat, haud vidit.* Altera vero ita habet: *Petrus omnino Jeſum redivivum vidit.* Prior memoriae eſt prodita ab Euangeliſtis; poſterior eſt Apoſtolorum & diſcipulorum Chriſti, eo tempore prolata, quo Chriſtus Petro nondum adparuerat. Simulac igitur per Simonem, cui Jeſus adparuerat ac ſeſe dederat ſpectandum, intellexeris alterum ex diſcipulis Emmaunticis, res omnis eſt in expedito. Qui uſus non poteſt non videri admodum praeclarus & complexui veritatum coeleſtium recte tuendo accommodatus.

OBSERVATIO V.

De Interpunctione 1. *Tim. II.* 3. 4. 5. 6. 7. *reformanda.*

SYNOPSIS.

§. I. *Fundamentum interpunctionis novae.*
§. II. *Expoſitio ulterior.*
§. III. *Ven. Moshemii ſententia confirmatur.*

§. I. Praeſtantiſſimi doctoris Pauli divina ea eſt doctrina, quae preces pro ſingulis ad Deum dirigendas nobis praecipit. Pro ipſa ſalute & incolumitate eorum, qui a doctrina Chriſtiana ſunt disjuncti, vel alieni, Deum eſſe a Chriſtianis implorandum, idem docet, nervumque demonſtrationis ſuae ex univerſali Numinis Supremi benignitate, ad omnes

omnes omnino homines patente & diffusa, depromit. Tanta enim hujus benignitatis est excellentia, ut ea salutem neminis excludat, felicitatem omnium serio expetat. Deinde oratio videtur obscuritatem redolere, siquidem in inciso sexto crux lectori figitur, haud facile divinanti, quorsum voces illae, τὸ μαρτύριον καιροῖς ἰδίοις, respiciant.

§. II. Ut obscuritas illa removeatur, parentheseos, qua Paulus alioquin frequenter utitur, signo est peropus. Quam hunc in modum ponendam esse, contextus orationis ac argumentorum series clarissime docet. Τοῦτο γὰρ καλὸν καὶ ἀπόδεκτον ἐνώπιον τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Θεοῦ, ὃς πάντας ἀνθρώπους θέλει σωθῆναι καὶ εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν, (εἷς γὰρ Θεὸς, εἷς καὶ μεσίτης Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων, ἄνθρωπος, Χριστὸς, Ἰησοῦς, ὁ δοὺς ἑαυτὸν ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων,) τὸ μαρτύριον καιροῖς ἰδίοις, εἰς ὃ ἐτέθην ἐγὼ κήρυξ καὶ ἀπόστολος κ. τ. λ. Complexus orationis hoc pacto profluit sua sponte, nec hiat. Nam preces ad Deum pro omnibus naturae humanae consortibus sunt dirigendae. Quam ob rem? quia hoc praestabile ac pergratum est Sospitatori nostro, qui est Deus. Quaeris porro, hac indole hisque precibus Deus tantopere delectetur? Respondet Paulus, dictitans, exemplum Dei esse imitandum, qui serio velit, universos omnino homines sempiternam effugere perniciem & ad vivam veritatis cognitionem progredi ac aspirare. Hoc est illud unicum adminiculum, quo impedire, ne pereamus, licet. Veritatis in pectus vitamque demissio est remedium, quod exitio aeterno jam ingruenti medetur. At quaenam, inquis; illa est veritas? num cuivis veritati ea vis inest & tanta inhaeret praestantia? Succurrit haesitanti, antequam seriem orationis persequeretur, Paulus, ac veritatem illam ejusque ar-

argumentum & nucleum praecipuum luculenter exponit. Oſtendit ſcilicet, Deum ac homines, per Chriſti deprecationem duroſque, quos exhauſit, labores, fuiſſe reconciliatos. Homines multa debebant praeſtare, ac inſigniter obaeratis, qui ad poteſtatem alieni domini ex improbitate deſciverunt, erant perſimiles. Ipſi proinde erant hoſtes Dei & maligni debitores. Pro hiſce dedit Chriſtus pretium redemtionis, ipſisque libertatem, ut, conditione adjecta perfuncti, poſſint aeternum felices reddi, peperit. Haec eſt illa veritas, quam Deus cupiebat inſtillari omnibus. Haec eſt illa veritas, ad quam omnes adſpirare decet. Objici poteſt equidem, olim ante natum Chriſtum hanc veritatem ad univerſas gentes haud fuiſſe propagatam, neve conſervatione ſolicita cuſtoditam. Objici poteſt ab Empaectis, Deum antea omnium ſalutem ſerio haud expetiiſſe, ſiquidem veritas illa ubicunque propemodum fuit incognita vel exſtincta. Reſpondet Paulus, ſapienter monens, veritatem eam non aetate quavis eodem ardore propagari vel nuntiari, eo quod praeſtantiſſima & eximia illa Apoſtolica veritatis Chriſtianae divulgatio ſuis temporibus propriisque rationibus fuerit reſervata. Ad hanc excellentiorem Euangelii diſſeminationem perficiendam Apoſtolus divino juſſu erat conſtitutus, ut impleret ſingulare illud munus praeconis & Apoſtoli. Hac quidem ratione, opinor, cohaerent ſingula, ita ut oratio divina nullo pacto videri poſſit hiulca.

§. III. Voces ἄνθρωπος, Χριστὸς, Ἰησοῦς ſeparatim eſſe interpungendas, nuper jam monuit Vir Venerabilis ac fautor noſter ſingularis, non ſine obſervantia nominandus, JOANNES LAURENTIUS MOSHE-

MOSHEMIUS (*a*). Jeſus certe in ſenſu magnifico, eximio & excellenti vocatur *homo*, האדם *filius hominis*, alter *Adamus* ſeu *homo*, Rom. V. 1. 1. Cor. XV. 45. *homo alter*, 1. Cor. XV. 47. *novus homo*, quem induere nos decet, Rom. XIII. 14. Gal. III. 27. Col. III. 10. Eph. IV. 24. Paulus diſtincte, quis ille ſit ſoſpitator & deprecator, tradit. Judaei quoties Meſſiam cogitatione repraeſentabant, hominem praeſtantiſſimum praeclariſſimiſque dotibus praemunitum conſueverant animo figurare. Quare ſimpliciter, eximio autem ſenſu, vocabatur Meſſias, quem ardentiſſimis Judaei expetebant votis, *homo & filius hominis*, II. Sam. VII. 19. Ezech. I. 26. Ap. IV. 3. ſq. Hic homo, ſummis conſpicuus perfectionibus, merito adpellabatur *Meſſias*. Id enim nominis, veteri foedere ſtante, Deus Pater ei voluerat proprium. 1. Sam. II. 35. Dan. IX. 26. Jeſus vocatus fuerat ipſe, quum circumcideretur, angelo ſic praenuntiante. Hunc Jeſus verum fuiſſe hominem, hominem illum ſingularem & eximium, atque Meſſiam & μεσίτην, עמנואל, internuntium & utriuſque partis reconciliatorem exſtitiſſe, Paulus praecipit ac perdocet. Idem Jeſus paullo ante nominatus fuerat ab eodem Paulo ὁ σωτὴρ ἡμῶν θεὸς, *Salvator ille noſter Deus*, ne dubites, unum illum deprecatorem & ſoſpitatorem eſſe verum Deum ac verum hominem, nec tamen duos, ſed unum Meſſiam. *Neque enim hominem dicere abſque divina natura, eſt utile, neque divinam naturam confiteri citra divinam naturam, eſt ſalutare.* (*b*) Unctus autem eſt Servator ſecundum naturam humanam, ac in primis ut

(*a*) In *Sittenlehre der Heiligen Schrift*, P. I. Sect. I. cap. 1. p. 85.

(*b*) CYRILLUS, in *Catecheſi* XII. ſub initio.

ut ſummum ſacerdotem repraeſentaret. Summus enim ſacerdos in Veteri Teſtamento vocatur *nuctus*, Lev. IV. 3.

OBSERVATIO VI.

De Prunis ignitis, pro capite inimici acervandis, ad Rom. XII. 20, & Prov. XXV. 22.

SYNOPSIS.

§. I. *Formula loquendi,* ἄνθρακας πυρὸς σωρεύειν ἐπὶ τὴν κεφαλὴν ἐχθροῦ *videtur paradoxa & inſolens.*
§. II. *Varii varie eam exponere fuerunt conati.*
§. III. *Adfertur, novae expoſitionis fundamentum ex ritu ſuffiendi.*
§. IV. *Succedit expoſitio nova.*

§. I. Etſi nonnullis ante annis dederam, vel potius dare tentaveram, expoſitionem hujus dicendi formulae luculentam, pluribus verbis ſcriptam, qua declaraveram, carbones ignitos, ſeu prunas, ſymbolum eſſe ſalubrium acroamatum, quae aculeum in animo perculſo relinquant; tamen, quum illud iſtius expoſitionis opuſculum nec Ven. Joanni Chriſtophoro Wolfio, nec Celeberrimo JOACHIMO LANGIO, nec mihi penitus probaretur, ſententiam meam, argumentis Pauli vix apte reſpondentem, mutare ſtudui. Verti igitur me in par-

partes omnes, ac omnia facillimae expoſitionis praeſidia coepi circumſpicere. Inſolitum equidem eſt, prunas ignitas in caput acervatim colligere. Prunae enim capiti inferunt mala exquiſitiſſima, capillos exurunt, pericranium violant, cerebro creant detrimenta. Ad damna inferenda prunas ignitas fuiſſe adhibitas, litterarum monumentis conſignatum reperitur. Ad utilitatem ac benevolentiam alterius promovendam prunas fuiſſe adhibitas, legere me, apud ſcriptores exteros, non memini. Octaviani milites conjecerunt prunas ardentes ex ollis in naves Antonii & Cleopatrae ad promontorium Actiacum, non ut eis conſulerent, ſed ut illas violarent ac exurerent (*c*). Prunae laedunt pedes, ſiquis eis inambulet (*d*). HIERONYMUS, in epiſtola ad Oceanum, de epitaphio Fabiolae haec inſerit: *Deſcendit de ſolio deliciarum ſuarum, accepit molam, fecit farinam, & diſcalceatis pedibus transivit fluenta lacrimarum. Sedit ſuper carbones ignis. Hi ei fuere in adjutorium. Faciem, per quam ſecundo viro placuerat, verberabat.* Habes heic ſpecimen poenitentiae publicae, prunis ignitis illuſtre, quae ad jucunditatem haud accommodatae erant, ſed potius ad ſqualorem & luctum augendum. Servilia, Lepidi junioris uxor, prunis ardentibus deglutitis, fati diem occupavit. Vellejus Paterculus (*e*) haec de ea habet: *Aequetur praedictae Calpurniae Antiſtii Serviliae, Lepidi uxor, quae, vivo igni devorato, praematuram mortem immortali nominis ſui penſavit memoria.* Mirabile itaque videtur praeceptum illud, quo jubemur, prunas vivas ſuper caput ini-

 mici,

(*c*) DIO CASSIUS, Lib. L. p. 440.
(*d*) *Prov.* VI. 28.
(*e*) *Hiſt.* L. II. c. 88.

mici cumulate colligere & acervatim imponere. Prunae ad calefaciendum ſeſe & alterum (*) commode ac ſalubriter adhibentur. Sed eum in finem nemo eas capiti imponet.

§. II. Difficultas omnis reſidet in phraſi, ſeu loquendi formula. Simulac haec ex ritu priſco, vel fonte alio, fortunato fuerit enodata, omnia erunt in expedito. Celeb. JOACHIMUS LANGIUS (*f*) prunarum in caput inimici effuſionem exponit de igniculo pudoris, qui animum inimici percellat, quum ei benefeceris, quaſi prunae ineſſent capiti. Monet deinde, ſubeſſe proverbium, Ebraeis jam cognitum, Prov. XXV. 21, 22. Adjungit exempli loco illam animi commotionem, qua David Rex, crimine numerati populi reus, fuerit perculſus, 1. Sam. XXIV. 17. ſqq. Nihil in hac ſententia noto, nihil carpo, originem & rationem proverbii ſeu adagii illius ſcire aveo, quam Cel. Langius vel ignoravit, vel diſſimulavit. Addit vir praeſtantiſſimus, eum, qui commotionem illam animi, a Spiritu Sancto ſuggeſtam ac inditam, negligat, vindictam incurrere Dei. Pſ. XXI. 10. CXL. 11. Eſ. XXVI. 11. Cum loco Prov. XXV. 21. locum noſtrum aeque comparavit FRANCISCUS WOKENIUS (*g*), ac illuſtravit utrumque, haud ſecus ac JOANNES MARKIUS, in ſingulari *Diſſertatione, Lugdun. Batav.* 1716. *edita*, & *in Sylloge Diſſertationum Theol. Philolog. recuſa* p. 780. Duae ſunt (*h*) ex diverſis interpretum ſententiis potiores, quarum

(*) *Eſ.* XLVIII. 14.
(*f*) In *Apoſtoliſchen Licht und Recht*, l. c. p. 153.
(*g*) In *Harmonia* V. & N. T. p. 391.
(*h*) Verba Ven. *Joannis Chriſtophori* WOLFII, ex *Curis Philologicis & criticis*, ad Rom. XII. 20. p. 253.

rum altera carbones illos ad gravitatem judiciorum divinorum refert, quae homini, pertinaciter in alterum injurio, immineant; altera vero de beneficiis, ab offenſo homine alteri praeſtitis, ita accipit, ut dicatur, ea ita comparata fore, ut tolerare ea non poſſit inimicus, atque adeo effectura, ut ab hoſtili animo ad placidum & benevolum ſe convertat. Utramque ſententiam Ven. LANGIUS videtur conjunxiſſe. Poſteriorem Ven. WOLFIUS praefert, quam itidem delegerunt & ornarunt e Reformatis JOANNES MARKIUS, loco laudato, & SCHOTTUS (*i*), e Lutheranis vero FRANZIUS (*k*) ALETHAEUS & alii. CHRISTIANUS SCHOETGENIUS (*l*), adlatis nonnullis Judaeorum narrationibus, ſubjicit tandem: *Ex his quatuor locis ſequentia rerum momenta colligimus*: (1) *Proverbialem locutionem fuiſſe: prunas capiti alicujus injicere, pro dolore aliquem adficere:* (2) *Illud proverbium deinde occaſionem dedit Judaeis, ut ſimile, quod bis adfuit, effingerent.* (3) *Senſus autem illius proverbii fuit: Eadem re duo quaedam efficere potes, alterum bonum, alterum malum. Bonum, nam Dominus tibi retribuet: malum, quod inimicus ad tempus pati cogitur, ut benefactis tuis pudefiat, & , ſi bonus eſt, bene ipſi ſit, ſi vero malus, totum negotium peſſime ipſi cedat.* Inveſtigavi quatuor illorum locorum mentem & ſcopum, ac deprehendi, in illis formulam: *capiti immittere prunas*, de malo, in inimicum conferendo, fuiſſe adhibitam. Exiſtimarunt Rabbini, ſeu Judaeorum magiſtri, formulam ex offi-

(*i*) In *Adagialibus Sacris N. T.* p. 165.
(*k*) de *Interpretatione Scripturae Sacrae*, orac. 43.
(*l*) In *Horis Hebraicis*, p. 568. ac jam antea, in *Specimine horarum Hebraeo-Talmudicarum*, quod habetur in *Novis litterariis Lipſienſibus*, 1719. p. 83.

cinis piſtorum eſſe deſumtam, qui in furno eodem prunas ardentes fovent panemque coquunt recentem, ac advenientis inimici in caput immittunt prunas, advenienti autem amico panem ex beneficentia praebent recentem. At vero haec hujus formulae expoſitio ad ſcopum Pauli haud quadrat, qui inimico praecipit benefacere. Si Paulus, inimicos fodicari, torqueri & malis cumulari ab altero, quem inimicus offendit & exaſperavit, jus fasque exiſtimaſſet, ſimilitudinem illam, a piſtore acerbo deſumtam, utique adtuliſſet. Verum mens ei fuit longe alia. Ipſe enim docet, mala, ab inimicis illata, eſſe beneficiis penſanda & vincenda; maleficia maleficiis opponenda eſſe: vindictam ſoli ſupremo Numini eſſe reſervandam. Succurrere difficultati voluit JOANNES CLERICUS (*m*), ritu in medium advocato, quem Turcis adhuc ait eſſe receptum. Qui enim gravi inter eos injuria ſunt affecti, de qua apud Dominum, ſeu Imperatorem, conqueri non poſſint, illi catillum, carbonibus ardentibus plenum, in capite geſtantes, Sultani aedes obeunt, ut ab ipſo conſpiciantur: quemadmodum viciſſim Sultanus in more habet poſitum, ut, ubi ejusmodi hominem conſpexerit, eum de cauſſa interrogandum curet, maloque & injuriae medeatur. An ritus hic jam aetate Salomonis in uſu fuerit, libet licebitque ambigere. Et cui fini miſerabiles eum adhibent ritum? nonne oſtendunt, ſibi imminere mala graviſſima ac ipſum vitae diſcrimen? nonne malum, ab aliis illatum, volunt debita poena adfici? num hoc pacto maleficos beneficiis proſequuntur? num haec ad eum quadrant animum, qui inimicum cibo potuque recreat ac ſublevat. Finge ta-

(*m*) In *Biblioth. Vet. & Nova.* Tom. I. Part. II. p. 373.

tamen, unum alteri imponere catillum & catillo inferere prunas ardentes? nonne ſic homo, extra offenſionem poſitus, alterum reddit aptum ad vindictam ab altero expetendam, eumque monet, ut cauſam ad judicem deferat, mali vindicem? Quae quum ita ſint, in hac ſententia invenio plane nihil, in quo poſſim adquieſcere. Cl. JOANNES CHRISTIANUS HERZOG (*) novam prorſus inſtitit viam, ut difficultatem minorem majori difficultate arceſſita tolleret & diſſiparet. Arbitratur ipſe, verba, τοῦτο ποιῶν, non ad proxime praecedentia verba, ſed ad vocem ἐκδικεῖν, eſſe referenda. Verum haec expoſitio repugnat dicto, quod ex Proverbiis Salomonis a Paulo repetitur. Haec expoſitio a complexu orationis prorſus abhorret, ac cum ſententia, quae epiphonematis loco ſubjungitur, conciliari & in concordiam redigi nullo modo poteſt. Quid igitur reſtat, niſi ut ſenſum Pauli genuinum alia via exquiramus.

§. III. Praemittenda idcirco arbitror ea, quae fundamenti loco ſubſternere oportet, ut ad genuinum formulae, quae interpretibus crucem fixit, ſenſum liceat pervenire. Paulus locum, e Proverbiis Salomonis petitum, adfert, ac ex eo ſcopum ſuum cupit illuſtrare, qui in eo vertitur, ut vindictam privatam eſſe intermittendam, inimicos vero beneficiis eſſe demulcendos & expugnandos, doceamur. Formula itaque, a carbonibus ignitis in caput colligendis deſumta, Salomonis aetate fuit notiſſima. Eam itidem Chriſtiani, ad quos ſcripſit Paulus, habuerunt compertam. Actio itaque illa, qua quis in caput alterius acervatim cumulavit ignitas prunas, fuit be-

(*) *In Diſp. de particula* Ἐπί, p. 30.

nefica, notiſſima ac intellectu facilis. Prunas ardentes in templo Hieroſolymitano, & in aedibus commentitiorum Numinum, fuiſſe adſervatas ac in aris cuſtoditas, nemo ignorat. Haſce ſuffimentis inſtituendis ſacris inſerviiſſe, neminem fugit. Purae erant hae prunae, ac ab omni immunditia disjunctae credebantur. Juvat meminiſſe, quod Eſaiae adparuerit in ecſtaſi Angelus, qui manu ſua tenebat prunam. Ebraeus ſermo habet רִצְפָּה, Alexandrini ἄνθρακα habent. Angelus prunam illam forcipe ab altari exteriori ſumſerat. Ipſe contigit os Prophetae, pruna, opinor, admota, ac dixit: ecce hoc adtigit labia tua, ac receſſit poena peccatorum tuorum, ſiquidem peccatum tuum tectum manebit. Eſ. VI. 6. 7. Unde adparet, prunas in altari exteriori fuiſſe, quae ad puritatem & expiationem ſpectaverint. Mane ac vesperi ſacerdos, quem ordo tangebat, prunas ardentes vivasque ex altari exteriori depromſit, eas turibulo indidit, & ſeſe ad ſuffitum faciendum pro capitibus populi Iſraëlitici accinxit. Aaronidae & Levitae ſupplebant locum reliquorum Judaeorum in obeundo ſacrarum actionum publico miniſterio, nec ſolum pro ſeſe, ſed etiam in capita ſingulorum ſuffiebant. De ſuffitus inſtituto paucula delibabimus, antequam ad expoſitionem ipſam progredimur. In adyto, quod vocant *Sanctum*, conſpiciebatur altare ſuffitus, inter menſam & candelabrum. Nunquam minus de ſuffitu fuit oblatum, quam pondo unum, nec ſuffimentum, niſi quotannis ſemel, fuit confectum. Tantum enim ſuffimenti tum adparari ſolebat, ut illud ſuffituris per annum integrum ſufficeret (o). Quum ſuffimen-

(o) MAIMONIDES, in *Librum Miſchnicum, de Exciſionibus*, c. I. §. 1. & in *Librum de Vaſis ſanctuarii*, c. II.

mentum conficerent ſacerdotes, aromata primo omnium macerabant ſmegmate, ex viciis parato. Deinde macerarunt ea vino veteri ac efficaci. Poſtea ea fuerunt contuſa; quae ſingula in atrio ſacerdotali fieri, erat moris. Suffimentum ipſum quotannis bis in mortarium coërcebatur majus, nunc tempore ſereno, ne redderetur mucidum, nunc tempore pluviali, ne odorem amitteret (*p*). Impenſae, quae in ſuffimentum erant collocandae, ſumi ſolebant ex conclavi pecuniarum templi, una cum mercede, illi danda, qui ſuffimentum adornabat (*q*). Confici ſolebat ſuffimentum novum ipſo novilunio, Niſan cognominato. Vetus ſuffimentum ex eo temporis articulo redditum eſt commune (*r*). Suffitus publice fiebat, quum lucernae in lychnis candelabri ſancti incenderentur, nimirum inter incendendum lychnos duos priores ac duos poſteriores, ac interea, dum ſanguis ſacrificii jugis adſpergebatur ac ſacrificium illud comburebatur in altari exteriori. (*s*) Tempore, quo ſuffitus erat effectui dandus, praeſes dabat ſignum, ſuffiendo idoneum ac accommodatum, edicens: *offer*; quo ipſo ſacerdos ille, qui ſuffitum excitaturus erat, templum intravit, turibulo inſtructus, quod alii imponebat vaſi ac velamine operiebat. Confeſtim cum ipſo intravit ſacerdos, qui prunas ardentes de igne altaris exterioris acceperat. Prior ille, ſorte delectus, gerebat *vas*, קְעָרָה dictum, volam manus referens, in cujus medio erat מַחְתָּה, *turibulum*, *acerra*, vas ſuffimento plenum, clauſum

(*p*) MAIMONIDES, de *Juge Sacrificio & ſuperadditis*, c. II.
(*q*) MAIMONIDES, in *libro de Siclis* c. IV. §. 1. 12.
(*r*) MAIMONIDES, ibidem.
(*s*) MAIMONIDES, de *Sacrificio Juge*, c. VI. §. 5. ac *in librum de Feſto Expiationis*, c. III. §. 5.

operculo. Gerebat idem מחתה, πυρεῖον, *receptaculum prunarum* (*t*), ex argento confectum, capax quatuor caborum, adscendebat alter sacerdotum, ut illud impleret, altare, prunasque interventu forcipum accipiebat, easque, quum descendisset, in πυρεῖον, *receptaculum prunarum*, aureum, quod tres cabos capiebat, effundebat. Alter ille sacerdotum non sorte, sed ab eo, qui suffiebat, deligebatur (*u*). Uterque per vestibulum ac velum prius sese contulit in adytum prius, seu *sanctum*. Is vero, cui suffiendi munus sortito obtigerat, prunis supra altare interius dispositis, suffitum ex acerra prunis immisit, simulac praefectus exclamasset: הקטר, *incende*. Antequam vero uterque sacerdos adytum illud intrarent, Levitae tympanum pulsarunt aeneum, ut, suffitum adferri, populus haberet cognitum, quippe quem oportebat, inter suffiendum preces ad Deum dirigere. Inter preces illas, ad vocem præfecti exauditam, sacerdos, de quo diximus, suffimentis in prunas immissis, deposuit turibulum in altaris interioris partem superiorem: Dum haec in adyto priori agebantur, universi in templo constituti decesserant de loco, qui inter adytum illud & altare exterius erat interceptus, ac sanctitate eminebat. Ab eo solebant etiam recedere in festo sollemnis expiationis die, quando Summus Sacerdos in adytum interius deportabat cruorem. Quum suffitus fieret in priori adyto, populus in atrio expromebat ad Deum preces (*x*). Ad postremum sacerdotes, munere suo functi, ex adyto priori redibant, ac, in gradibus vestibuli, seu pronai, consistentes, populo be-

(*t*) *Num.* XVI. 18.
(*u*) *Gemara*, in *Joma*, XXV. 2.
(*x*) *Luc.* I. 10.

Digitized by

benedicebant, Num. VI. 23. Mane & veſperi, ſacrificio jugi peracto, ſuffitus ille fiebat, ad quem circa veſperam inſtituendum ſortes denuo fuerunt ductae (*y*), novusque delectus ſacerdos. Altare ſuffitus erat ex ligno *Sittim*, ſeu (*z*) ſpina alba, quae in Arabica ſolitudine & Aegypto procreſcit, conſectum, auro obductum ad craſſitiem denarii (*a*), limbo aureo ſuperius veſtitum, quatuor cornibus ſeu piramidibus in quatuor angulis ornatum (*b*), longum cubitum unum & latum, altum vero duos. Limbum, quo illud circumquaque erat ornatum, ab Ebraeis vocari זֵר (*c*), nemo facile ignorat. Dicitur ille a perimetri officio, quod in premendo & comprimendo eſt poſitum. Nam זוּר notat actum *comprimendi*, Jud. VI. 38. Job. XXXIX. 18. Eſ. I. 6. LIX. 5. Altaris pars ſuperior, עזרה (*d*) qua contegebatur, erat ſolida ac ſatis apta, cui imponerentur prunae, ex vaſculo effuſae, cum ſuffimento incendendo (*e*). Hiſce in animum demiſſis, lucu-
lente perſpicimus actiones illius Angeli, qui deſcribitur Apoc. VIII. 3. 4. 5. Ipſe enim viſus fuit *ſtare juxta altare*, nempe exterius, *tenens turibulum aureum. Data ei* perhibentur *ſuffimenta multa, ut adjungeret ea precibus omnium ſanctorum, ac effunderet illa ſuper altare auratum, quod e regione ſolii*, in adyto intimo conſpicui, *erat ſitum.* Viſus eſt porro *adſcendere fumus ſuffimentorum illorum, una cum precibus ſancto-*

 rum,

(*y*) *Gem. Joma*, XXVI. 1.
(*z*) *Hadrianus* RELANDUS, *Palaeſtinae* L. III. p. 521.
(*a*) *Gem. Eruvin*, XIX. 1.
(*b*) MAIMONIDES, de *Jug. Sacrif. & ſuperadditis*, c. III. ac de *Domo electa*, c. III. §. 17.
(*c*) *Ex.* XXV. 24. *Ex.* XXX. 4.
(*d*) *Ex.* XXX. 3.
(*e*) *Ex.* XXX. 1.

Digitized by Google

rum, ex manu illius Angeli coram Deo, i. e. propè ſolium, in adyto ſanctiſſimo conſtitutum. Quum vero Angelus ex more debuiſſet populo benedicere, *ſuſcepit turibulum, ac illud demùm ex igne*, id eſt, prunis ignitis *altaris*, exterioris puto, *complevit, atque in terram projecit.* Indicatur Dei indignatio, cultus Levitici finis, ac calamitas, populo Judaico imminens. Hactenus itaque ſatis pateſcit, prunas ardentes ex altari exteriori fuiſſe interventu forcipis depromptas, peculari ſacro vaſi, dicto מחתה, inſertas. Vas illud nomen hoc obtinuit ex voce חתה, quae de contrectatione ac comprehenſione ignis ac prunarum ſolet adhiberi (*f*). Salomonis ſententia, quam Paulus ex Prov. XXV. 21. 22. adduxit, hac voce eſt inſignis, ac ita habet: אִם־רָעֵב שֹׂנַאֲךָ הַאֲכִילֵהוּ לָחֶם וְאִם צָמֵא הַשְׁקֵהוּ מָיִם כִּי גֶחָלִים אַתָּה חֹתֶה עַל ראשו וַיהוָה יְשַׁלֶּם־לָךְ *Si eſurierit is, qui odio te proſequitur; tum cibum ipſi praebe: ac ſi ſitiverit, aquam ipſi praebe bibendam. Certe hoc pacto carbones, ignitos nimirum, adparas & capis pro capite* (vita) *ejus. Dominus vero tibi mercedem pro factis adtribuet.* Paulus verba Alexandrini interpretis retinuit. In voce ebraica חתה manifeſta latet adluſio ad receptaculum, quo ignis ac prunae excipiebantur. Prunae ipſae ſolebant forcipe מלקחים, capi, comprehendi, ac in id receptaculum demitti. Haec actio per vocem חתה indicatur. Particulam לו reddidi per *pro*, ut deſignetur *militas & commodum actionis.* Id enim praecipitur, ut inimico faciamus bene. Quid igitur cum officio illo benefaciendi arctius copulandum eſt, quam ſtudium conſulendi ejusdem utilitatibus atque commodis?

(*f*) *Eſ.* XXX. 14. *Prov.* XXV. 22.

Digitized by Google

dis? Significatum illum, particulae עַל tributum, in ſacris V. T. litteris eſſe tritiſſimum ac frequentiſſimum, manifeſta exemplorum multitudine comprobavit CHRISTIANUS NOLDIUS (g). Dabimus heic, nequid ſuperſit haeſitationis, exemplum & unum & alterum, nominatim I. Reg. II. 18. II. Reg. X. 3. Jer. XVI. 7. Job. XLII. 8. Dan. XII. 1. Neh. X. 33. Ab eis haec loca poſſunt conſuli, qui fidem ſibi fieri oculatam expetunt. Alexandrini interpretes plerumque adhibuerunt ac ſubſtituerunt particulas, περὶ, ὑπὲρ, ἀντὶ. Verum dantur etiam loca ejusmodi, in quibus particula ἐπὶ eumdem tuetur ſenſum, e. g. Ex. XXIX. 36. alibique. Adferam in praeſens locum, dubitationi omni eximendae aptiſſimum, ex Dan. XII. 1. ubi dicitur: *Michaël, princeps ille magnus, qui ſtat pro filiis populi tui*, עַל בְּנֵי עַמֶּךָ Theodotion poſtrema verba ita expreſſit: ὁ ἱστηκὼς ἐπὶ τοὺς υἱοὺς τοῦ λαοῦ σου. Confer Jer. XVI. 7. ubi עַל redditum fuit itidem per ἐπὶ. Eſth. IV. 16.

§. IV. Nunc tandem liceat, expoſitionem, ex praemiſſis rationibus deductam, ſubjungere. Cardo ſcopi Paulini in eo vertitur, ut doceat, iracundiam ac ultionis ſtudium a Chriſtianis merito abeſſe. Tria igitur Paulus ſuppeditat adminicula, quibus maleficia inimicorum ſint avertenda, ac a nobis propulſanda. Primo monet, vindictam eſſe Deo, ſupremo ac juſtiſſimo judici, reſervandam, qui improbitatem nullam dimittat inultam aut poenis immunem. Secundo ſuadet, ut in eos, qui nobis malefecerunt, ſimus manſueti, ac, ſi opis noſtrae indi-

(g) In *Concordantiis particularum Ebraeo-Chaldaicarum* p. 555. ſq.

digeant, benefici. Quod ipſum comprobat dicto, ex Proverbiis deſumto, ac adjecta ſalubri ſententia, qua Chriſtianos docet artem, devincendi obtrectatores & inimicos, quae conſiſtit in eo, ut mala nobis illata benefactis, in inimicos collatis, penſemus ac permulceamus. Tertio ſubjungit doctrinam de Magiſtratu, Dei miniſtro ac vindice, poenas in malos expromente, Rom. XIII. 1--5. Adminiculo ſecundo illuſtrando inſeruit pronuntiatum, ex Proverbiis Salomonis deſumtum, quo docemur, malis mala haud eſſe rependenda. Per ſpecies beneficentiae hoc ipſum demonſtratur. Finge enim, eum, qui tibi damna ac probra intulit animumque demonſtravit nimis infeſtum, indigere victu, cibo & potu neceſſario. Numquid tunc de exitio inimici eſt laetandum? num adjumenta ad perniciem ejus tunc ſunt excogitanda & adferenda? minime gentium. Proſpiciendum eſt ipſi potius de cibo & potu, de victu, &, ſi ſit neceſſum, de amictu. Ad haec nec odio, nec adfectibus maleſanis eſt indulgendum. Dei exemplum & lenitas, Chriſti vita manſuetiſſima, ac victrix malorum patientia in medium proferenda uſibusque noſtris adhibenda ſunt. Quod ſi hanc doctrinam in animo reponamus & nos ad eam effectui dandam adplicemus diligentiſſime, id momenti adhuc adjungemus, ut ſuffimenta pro inimico, pro ejus capite ac incolumitate, inſtituamus, hoc eſt, exoptatiſſima quaevis ei adprecemur & a Deo expetamus. Qui ita facit, nae is ad ſalutem alterius tuendam & amplificandam toto incumbit pectore, tantum abeſt, ut plumbeas gerat iras & odia alat Vatiniana, ſeu internecina, quae vix ipſa exſtinguuntur morte. Liceat mentem Pauli hoc anfractu & pacto evolvere, ac implicatas ejus notiones diducere

cere & explicare. Adagium igitur latet in formula illa loquendi, quae jubet *pro capite, dignitate, vita & ſalute inimici prunas capere.* Sacerdos, dum ſuffimentis incendendis, precibus & votis, pro populo ad Deum dirigendis, & expiandis aliorum peccatis ſuum adpelleret re ipſa animum, prunas ex igne ſacro, qui erat in altari exteriori, capiebat. Haec prunarum in πυρεῖον immiſſio ac acervatio erat & primordium & ſignum ſuffitionis ac benedictionis adjungendae. Pro quorum ſalute ſacerdos incenſurus erat ſuffimenta, pro eorumdem incolumitate prunas capiebat. Actio enim illa capiendi prunas erat pars ipſius ſuffitionis. Videmus itaque, formulae loquendi, de qua diſſerimus, ſubeſſe tropum, ſeu translatum dicendi genus, quo pars actionis per *adſociationem idearum*, alias conjungi ſolitarum, ſumitur pro actione integra ac univerſa, & quo ſignum ponitur pro eo, quod indicatur eo, ac cum ipſo jugari ſolet & componi. Salomo, populus ad aetatem Salomonis referendus, Paulus, Judaei aetatis Paulinae ad Chriſtum adgregati, ac Romani callebant illum ſuffiendi ritum, qui cum prunis capiendis & ſuffimento miſcendis erat conjunctiſſimus. Expoſitioni, inde deſumtae, congruunt & complexus orationis, & nervus doctrinae, & Pauli ſcopus, & incrementum, ſeu *gradatio*, officii, inimico praeſtandi. Paulus non adquieſcit in opere humanitatis externo, in inimicum egenum expromendo; exigit idem porro propenſionem ipſius animi, qua alteri fauſta adprecamur, & minus ſecunda ab eo repellere & averruncare ſtudemus, quemadmodum Sacerdos V. T. quotidie pro ſingulis Iſraëlitis ſuffimenta adolebat, precibusque Deum eis placabat. Oblationibus enim ſingulis ac univerſis ſuffitionibus, ſtante adhuc priſco

ſco foedere, preces adjiciebantur (*h*). Quanto magis ſacerdotes ſpirituales decebit illa pro inimicis deprecatio ac illud inimicorum leniendorum ſtudium? *Caput* pro vita ac incolumitate potiſſima dici ſolet per emphaſin, quod dudum a viris doctis (*i*) obſervatum eſſe, ſatis ſuperque conſtat. De cetero lectores ſcire velim, vocem ראש denotare etiam radicem herbamque Aaronis, immo cicutam, ideoque mihi aliquando in mentem veniſſe, prunis herbam & radicem illam noxiam exſtingui poſſe ac exuri. Reſpexi ſimul ad formulam noſtram. Sed dimiſi ſententiam, ſimulatque recordabar, vocem ראש redditam fuiſſe per κεφαλήν.

(*h*) MAIMONIDES, de *Precibus*, c. XIV. §. 1.

(*i*) *Albertus* SCHULTENS, in Obſervat. ad V. T. p. 191. *Theodorus* HASAEUS, in *Leviathane Jobi*, p. 162. J. C. WOLFIUS, vol. I. *Curarum ad N. T.* p. 1275.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO VII.

De Fertis, ac Donis ſacris,

De προσφοραῖς, מנחות, a ſacrificio diſtinctis, ſeu muneribus ſacris, Deo, citra effuſionem ſanguinis, dicari & offerri ſolitis, ad illuſtrandum locum Eph. V. 2. ac totum Caput II. Levitici.

CAP. I.

Deſcriptionem munerum ac divîſionem exhibens.

§. I. MUnerum horum indolem ac naturam cognoſcere aventibus lucem ſuppeditabit varia ipſorum diviſio. Ipſa enim modo cum ſacrificiis conjungebantur, quemadmodum Paulus προσφορὰν conjunxit cum θυσία, modo offerebantur ſine ſacrificiis, nec propter ea, quae ſolebant libari, offerebantur in Dei honorem. MAIMONIDES, de *Oblationibus*, c. XII. §. 1. Ipſa vero haec munera erant ferta, e farinaceis compoſita, in honorem Dei offerri edique ſolita. I. *Diviſio & definitio.*

§. II. Munerum alia nomine totius Eccleſiae Judaicae, alia a privatis hominibus pro ipſis immolabantur, ſeu Deo tradebantur. Chriſtus ſeſe loco omnium & pro univerſis hominibus obtulit ac conſecravit. Munera utriusque ſpeciei ex ſimila triticea conſtabant omnia, excepto mulieris munere, quae adulterii erat ſuſpecta, ac excepto manipulo Paſchali, qui ex hordeo fie- II. Munera alia erant publica, alia privata.

fiebat. MAIMONIDES l. c. §. 2.

III. Munera tria totius Eccleſiae.

§. III. Eccleſiae totius nomine offerebantur munera tria, nempe manipulus Paſchalis, qui in altari exteriori offerebatur: duo panes Pentecoſtales, qui erant fermentati, ac ob eam rationem ad altare deportandi haud erant: & *panes facierum*, qui itidem non offerebantur ad altare, ſed edebantur, tempore praeſtituto, a ſacerdotibus. Manipulus Paſchalis ſuſtinebat imaginem Jeſu, ad variam de crimine quaeſtionem rapti, ac cruciatibus diriſſimis divexati. Poſterius demonſtratum memini a Celeberrimo Herbornenſium Theologo, Joanne Henrico Schrammio, in Diſſ. *de Manipulo hordeaceo ejusque myſterio*, Francofurti ad Oderam, anno 1706. edita, ac a me ipſo, in *Meditatione de Cribratione, quam Satanas Apoſtolis paravit*, Luc. XXII. 32. inſerta *Bibliothecae Bremenſi*, Claſſ. VIII. faſc. 3. art. 3. p. 414. ſqq. Prius conſtat ex Maimonide, ſcriptore Judaico, plerumque fide digno.

IV. Novem munera privata.

§. IV. Novem erant munera hominum privatorum, quae ſingula ac univerſa in altari ſolebant offerri ac immolari.

(1) *Munus peccatoris*, ſic dictum a paupere & peccatore, qui id ferebat, ac hoſtiam parare non valebat.

(2) *Munus mulieris, adulterii ſuſpectae*, de quo haec leguntur in Codice Miſchnico ejusque libello, qui *Sotah* inſcribitur, c. 2. §. 1. prouti quidem ea in Latinum convertit JOANNES CHRISTOPHORUS WAGENSEILIUS, p. 348. „ *Maritus uxoris, adulterii* „ *ſuſpectae, adulis oblationem in corbe ſaligna, quam*

„ *quam in manus dedit uxori, ut ipſa fatigaretur.*
„ *Omnes reliquae oblationes, tam ab initio quam*
„ *ſub finem, in vaſis ſanctis erant poſitae: at iſta*
„ *mulieris oblatio in corbe ſaligna initio erat ſita,*
„ *poſtremo autem modo repoſita erat in vaſe ſan-*
„ *cto. Ad omnes oblationes requirebatur oleum*
„ *atque tus; iſta vero nec oleum, nec tus admitte-*
„ *bat. Reliquae oblationes omnes erant e tritico*
„ *confectae; verum iſta ex hordeo erat parata.*
„ *Manipuli equidem Paſchalis oblatio etiam ex hor-*
„ *deo fiebat; at in ea farina offerebatur, cui ni-*
„ *hil fuit ademtum; in iſta vero pollen fuit ob-*
„ *latum. R. Gamaliel ait: Ut facta iſtius mulieris*
„ *fuere belluina, ita & ſacrificium ejus erat eſca*
„ *belluarum.*" Noli credere, oblationem hanc ex hordeo conſtitiſſe, conſtabat enim ex ſimilagine. Oblationem Sotae, ſeu mulieris adulterii ſuſpectae, caruiſſe oleo & ture, traditur quoque *Levit.* V. 11. De oblatione ipſa, a marito ejus inſtructa, leguntur nonnulla *Num.* V. 15.

(3) *Munus ſacerdotis*, quod quilibet offerebat ſacerdos, quum miniſterium ſacri laboris ac functionem ſuam auſpicaretur. Vocatur illud *munus initiationis*, מנחת הינוך. *Levit.* VI. 20. Offerebatur cum ſacrificio jugi.

(4) *Munus, quod offerebat Sacerdos Magnus*, mane dimidium, ac veſperi ex altera parte dimidia. Vocant id *munus ſartaginis*, ſeu *cruſtulorum*, מנחת חבותין.

(5) *Munus ſimilae*, ſic vocatum, eo quod in eo ſimila offerebatur nuda, non frixa, non cocta, nec in aliam formam arte transfuſa aut converſa, oleo tamen ſubacta. Vo-

catur ab Ebraeis מנחת המולת. *Lev.* II. 1.

(6) *Munus sartaginis*, מנחת על המחבת, fertum super patina aut super vase plano, cui non est margo, frictum.

(7) *Munus cacabi*, מנחת על המרחשת, fertum in aheno paratum.

(8) *Munus in furno coctum*, מנחת מאפה תנות, constans e placentis.

(9) *Munus laganorum* seu *tenuium placentarum*. Ex hisce quinque illa munera erant votiva & voluntaria. MAIMONIDES, l. c. §. 4. *Munus illud vocatur* מנחת מאפה רקיקין, fertum laganorum coctorum, *Lev.* II. 4. & unctorum oleo.

V. Modus offerendi ferta ac praeparandi.

§. V. Observandus est porro modus, quo munerum oblatio in altari fuit peracta. Itaque, ut is recte innotescat, novem expendenda sunt momenta. *Primo* quidem munera, quotquot in altari offerebantur, exaequare debebant decimam ephae partem, nec plus, nec minus, licet in muneribus votivis ac voluntariis unicuique liceret, quantum luberet, ad mille usque decimas, offerre. MAIMONIDES, l. c. §. 5. Si auctoritatem libri antiquissimi, *Pesikta Sutarta*, sequimur, decima ephae continuit capacitatem ovorum 43. ac insuper partis ovi unius quintae. Verba fol. 39. col. 1. indidem haec habentur: שיעור מ"ג ביצים וחומש ביצה. Optime omnium Celeberrimus Anglorum Professor, BERNHARDI, mensuras Hebraeorum cum nostris conciliavit, ad quem tantisper lectorem liceat remittere. (*)

(*) *Secundo* erat fas, ut munera ad occidentalem altaris partem deportarentur, ſpeciatim ad angulum cornu, auſtrum inter & occidentem ſiti. MAIMONIDES, §. 6. Quaenam exſtiterit figura & ratio cornuum altaris, ſolide ediſſeruit *Joannes Jacobus* QUANDT, in *Exercitatione Rabbinico-Talmudica, de Cornibus altaris exterioris, ad Exod.* XXVII. 2. quae conſpicitur inſerta Tomo I. *Theſauri novi Theologica-Philologici*, qui, ex muſeis Theodori Haſaei & Conradi Ikenii, Lugduni Batavorum ac Amſtelaedami, anno 1732. fuit emiſſus in lucem, p. 309. ſqq.

§. VI. *Tertio* nefas erat, ut munera agitarentur ſollemniter, excepto mulieris adulterii ſuſpectae munere ac manipulo Paſchali. Ea agitatio quomodo ſit peracta, ſolis quatuor verbis Raſchius tradidit, in Commentario ſuo, ad Num. V. 21. nempe מעלה ומורד ימוליך ומביא, hoc eſt, ſacerdos, qui oblationem ſeu fertum tenebat, eam a ſeſe *dimovebat & verſus ſeſe reducebat, tollebat deinde in altum, ac deinceps demittebat ſurſum.* Plura habet WAGENSEILIUS, in Commentario, ad *Sotah.* c. 3. p. 421. ſq. Forma crucis inde prodiit, ſi curate motum, a ſacerdote obſervatum, perpenderis. *Quarto* munera oleo ac ture ornarentur oportuit,

(*) Notus eſt praeterea liber *Joann. Caſp.* EISENSCHMIDII, Profeſſoris Argentoratenſis, de *Ponderibus & menſuris veterum Romanorum, Graecorum, & Hebraeorum*, Argentor. 1708. 8. BREREWOODUS, de *Ponderibus & pretiis Ebraeorum*. LUNDIUS, L. I. c. 17. p. 85. *Joann.* BUXTORFIUS, in *Lexico* maximo, ad vocem שלש & עג.

tuit, nempe fas erat, ut *logus* (לוג) olei ad quamlibet decimam ephae ac unus turis pugillus ad quodlibet munus adhiberetur, ſive illud una decima, ſive ſexaginta decimis conſtaret. Carebant tamen munera, tum mulieris adulterii ſuſpectae, tum peccatoris, ture; munus mulieris adulterii ſuſpectae carebat praeterea oleo. Unde enata illa fuit regula, quam auctor libri eximii, Schilte Haggibborim, fol. 70. col. 3. ſuppeditat: *Aliae oblationes requirunt tus & oleum: aliae duntaxat oleum, excluſo ture: aliae modo tus, excluſo oleo: aliae neutrum admittunt.* Vetuit Deus nominatim, Num. V. 15. oblationi uxoris ejuſmodi oleum aut tus addere. Rabbini varias interdicti hujus rationes ſtudent expiſcari. Verum quid prohibet, quo minus credamus, munera, turi ac oleo juncta, fuiſſe gratiſſimi odoris laetitiaeque ſymbolum, oblata quippe Deo εἰς ὀσμὴν εὐωδίας, *in odorem fragrantiſſimum*, Rege ſummo dignum propitio. Formulam loquendi adhibuerunt Alexandrini interpretes, Lev. I. 9. 13. 17. II. 9. a quibus eam retinuit ſuſceptam Paulus ille divinus. Mulier autem, adulterii crimine ſuſpecta, propitio Regi Deoque admoveri ac munera dicare non poterat, quamdiu incertum erat hominibus, an ea propitio Deo uteretur, nec ne. Tus aberat a munere peccatoris inopis, ut inopiam animumque triſtitiem is comprobaret ac re ipſa oſtenderet.

§. VII. Ex muneribus univerſis pugillus caperetur, erat neceſſum, qui ex toto in altari adolebatur vel comburebatur; reliqua vero edebantur a ſacerdotibus. Verum de munere ſacerdotum maſculorum pugillus haud ſumebatur,

nec

nec de ſartaginibus Sacerdotis Summi, nec de munere ſacerdotis peccantis, nec de ejus munere, qui offerebat voluntarium, utpote quae ſingula ex toto comburebantur. *Quintam* hanc cautionem ſuppeditat MAIMONIDES, §. 9. *Sexto* memoratu eſt dignum, ſingula munera a fermento fuiſſe disjunctiſſima. Fermentum enim gignit acrimoniam ſanguinemque, bili generandae aptum. A Rege, per Chriſtum propitio, aberat ira & iniquitas. Quam ob rem a nobis quoque Paulus animum exigit purum, ſeu ἄζυμα εἰλικρινείας καὶ ἀληθείας, I. Cor. V. 8. Fermentum & mel ad altare offerri, erat nefas. Cauſſam inveſtigo, ubi de cibo Joannis Baptiſtae commentari aggredior. In praeſens teſtem compello MAIMONIDEM, §. 14.

§. VIII. *Septimo* id mihi videtur quam maxime commemorandum, quod triticum, muneribus ſeu fertis adhibendum, macerari aquis ſit nefas, ne ſcilicet fermentum contraheret. Manipulus vero Paſchalis aquis macerari ſolebat. MAIMONIDES, §. 20. eſt auctor. *Octavo* erat neceſſarium, ut munera omnia coquerentur ac depferentur, aquis calidis adhibitis, & quidem eo in loco, ubi ſanctiſſima inſtruebantur ſacrificia, nempe ſacrificium pro peccato & pro reatu. IDEM, §. 22. Munera, ut *nono* haec addam loco, moli ac ventilari extra atrium ſacerdotale ſolebant; depſebantur vero, diſponebantur (wurden gerollet) & coquebantur intra atrium. Ut hoc ſacerdos expediret, haud erat neceſſarium, ſiquidem is, qui modo Judaeus erat natione, haec peragere poterat ſingula, pugillatione excepta. MAIMONIDES, §. 23.

ed by Google

IX. Deſcriptio fertorum accuratior.

§. IX. Hiſce praemiſſis, ferta ipſa ſeu munera deſcribemus. Munus autem ſartaginum Sacerdotis Summi ſic ſeſe habebat. Ipſe adferebat integram ephae decimam, in vas ſacrum eam imponebat, conſecrabat, ac menſura decimae dimidiae dividebat, quae erat in ſacrario, ſeu ſanctuario. Quamvis autem decima afferretur dimidia, ipſa tamen non conſecrabatur dimidia: deinde tres afferebat logos olei, cum oleo ſimilam miſcebat: coquebat eam in aquis calidis, ac depſebat ex qualibet dimidia decima ſex (*) placentas. Dividebat porro idem tres logos olei menſura quadrantis logi, ita ut quadrans ad ſingulas adhiberetur placentas, primo placenta coqueretur, deinde frigeretur in ſartagine cum oleo, ac hoc pacto foret ſemicruda nec non ſemicocta. Poſt haec ipſe diviſit munus ſuum in duas partes, ut partem unam dimidiam offerret matutino, alteram offerret vespertino tempore: duplicavit quamlibet placentam eamque fregit, ac partem dimidiam cum pugillo dimidio turis adolevit matutino tempore: partem alteram dimidiam cum altero dimidio pugillo turis adoluit ac combuſſit in altari, tempore vespertino. MAIMONIDES, de *Oblationibus*, c. XIII. §. 2. 3. 4. Fer-

(*) Erravit JOANNES LIGHTFOOTUS, opinatus, *duos panes* a Summo Pontifice indies fuiſſe oblatos, tum in ipſis *Horis*, tum in *Chorographiis* praemiſſis. Nam ea, quae a Summo Pontifice, vel ejus nomine, indies offerebantur, dicuntur חבתין, ſive *cruſtula*, eaque non duo, ſed duodecim, erant. At *duo panes*, quorum crebra in ſcriptis Hebraeis fit mentio, ſemper ſunt illi duo, qui in feſto Pentecoſtes die offerebantur. Errorem refellit HADRIANUS RELANDUS, *Palaeſtinae* L. III. p. 652.

Digitized by Google

Fertum hoc vocatur *cruſtulorum*, מנחת, חבותיך, τήγανον τῦ μεγάλα ἱερέως. I. Chron. IX. 31.

§. X. MUNUS SIMILAE modo parabatur ſequenti. Adferebat homo, fertum ejusmodi Deo oblaturus, ſimilae decimam vel decimas, prouti voverat Numini, complures, oleumque, eis congruens. Deinde illam decimam menſura decimae ſanctuarii menſurabat, infundebat oleum vaſi, poſtea ſimilam infundebat ac ſimilae ſuperinfundebat oleum, quocum miſcebat ſimilam, vaſi, quod miniſterio ſacro erat dicatum, imponendam. Porro infundebat oleum, & tus imponebat. Olea illa omnia logum exaequabant. MAIMONIDES, l. c. §. 5. Fertum hoc in Sacro Codice & alibi vocatur מִנְחַת סֹלֶת, *fertum ſimilae*, Lev. II. 1.

§. XI. Fertum, in clibano ſeu furno coctum, quod Doctores Judaici vocant מִנְחַת מַאֲפֶה תַּבּוּר, e placentis conſtabat, ac in hunc modum ſeſe habebat. Si quis placentas craſſiores eſſet oblaturus, miſcebat ſimilam cum oleo, & aquis eam ſubigebat calidis, coquebat eam & frangebat. Imponebat illam deinceps vaſi, quod miniſterio ſacro fuerat dicatum, tus ſuperaddebat, oleum vero adfundere non conſueverat. Si quis placentas tenuiores eſſet oblaturus, ſimilam aquis calidis depſere, & placentas ungere oleo ſolebat. Unctionem illam eſſe peractam, poſteaquam coctae jam erant placentae, videtur probabile. Menſura olei, quae vocatur *log*, cuilibet decimae, ex epha deſumtae, adhiberi ſolebat. Hoc ungebantur placentae, ac inunctio illa iterum iterumque iterabatur, donec

XI. Fertum in clibano coctum.

oleum eis omne fuiſſet inſumtum. Cjibani illi erant portatiles ac ex metallo conflatae. MAIMONIDES, l. c. §. 8. 9.

XI. Modus coquendi & dividendi ferta in partes.

§. XII. Quatuor haec ferta coquebantur (wurden gebacket) ea quidem lege, ut ex ſingulis ephae decimis denae fierent placentae, licet pauciores quoque inde poſſent impune tolerari: Si quis autem, eas oblaturus, frangeret easdem, placentam in duas duplicabat partes, duasque illas partes porro in quatuor dividebat partes, ita ut particulas fractas ſepararet. Quae ſeparatio in fertis ſacerdotum maſculorum, licet placentae frangerentur, locum haud obtinuit. Singula vero fragmenta erant inſtar magnitudinis olivarum, etſi majora & minora etiam tolerarentur. Fertum praeterea perſiſtebat legitimum, licet id careret commixtione cum oleo, fractione, deportatione & coctione. MAIMONIDES, l. c. §. 10. 11.

XIII. Munus libaminum.

§. XIII. Munus libaminum ita deſcribunt Ebraei, ut vinum & ſimilam, quae cum ferto offerebantur, vocent *libamina*, נְסָכִים, ſimilae autem ſolius fertum ab eis vocatum fuit *munus libaminum*, מִנְחַת נְסָכִים. Donum illud ſeu munus libaminum non fuit peractum agitationis ſollemnis & deportationis ad altare interventu. Poterat etiam inde tus abeſſe. Oblatum fuit ipſum cum ſale. Ritus hic eſt admodum antiquus ipſisque Graecis & Romanis olim percognitus, qui farinam, ſale perſperſam, Diis adferebant. Munus ejusmodi dici ſolitum fuit *mola ſalſa*. Actus offerendi proprie vocatus eſt *immolatio*. Hoc donum, Deo ſacratum, ab Ebraeis in altari exteriori ex toto fuit combuſtum. Vinum ſi offerretur, id in altari fuit libatum, non quaſi igni

igni infunderetur, ſed quod pavimento altaris infundebatur ad cornu, occidentem inter & auſtrum, ut inde per foramina defflueret. Libamina ſolebant conjungi non niſi cum holocauſtis, de beſtiarum genere ſumptis: cum ſacrificiis ſalutaribus, ſive ea publica ſive privata forent: cum agno puerperae, & ariete Sacerdotis Maximi, utroque in holocauſta cedente. At Ebraei cum ſacrificio, ab ave deſumpto, vel cum ſacrificio, quod ad expiandum reatum fiebat, non conjungebant libamina, excepto ſacrificio, ad leproſi peccatum expiandum offerri ſolito, ejusque ſacrificio, quod ad reatum avertendum idem immolavit. Libamina enim eis duntaxat jungebantur ſacrificiis, quae erant vel votiva, vel voluntaria. Ejus ſpeciei ſacrificia non erant ea, quae fiebant ad expiandam noxam (quam vocant reatum) quae vocabantur ſacrificia primogeniti, vel beſtiae decimatae, aut agni Paſchalis. Menſura vero libaminum ita determinata fuit, ut agno vel agnae adhiberetur ſimila cum quadrante Hini olei mixta, ac praeterea pars quarta vini, ad eam menſuram, quae itidem *Hin* vocatur, exacta. *Hin*, menſura liquidorum, 12 *logos* complectebatur; *log* vero capiebat ſpatium, quod continere poterat ſex ova. Libamina porro ad ſacrificia, de capris & ovibus ſumta, adhibebantur. Sed libamina, cum ariete ſacrificato conjuncta, duobus ſimilae decimis conſtabant, commixtae cum tertia parte Hini ex oleo, ac tertia parte unius Hini ex vino, ad libandum habili. Libamina, juvenco ſacrificando addita, aut vitulo immolando adjecta, erant decimae tres ex

ſimila deſumtae, cum dimidio Hini ex oleo commiſtae, ac tantundem vini ad libandum ac commodati parte. Quae libaminum menſurae nec augebantur nec imminuebantur. Quum vero menſurarent libamina aut munera, ſive publica ſive privata, non capiebant menſuram trium decimarum, quae cum juvenco conjungebatur, nec duarum decimarum, quae arieti jungebatur, ſed unius decimae menſuram. Oleo illi, quod libaminibus accedebat, eadem ratione menſura peculiaris erat deſtinata. Si privatus offerret munus, menſura *logi* ſolebat adhiberi. Quae vero ad latera menſurae exteriora de ſimila, ſi eſſet accumulata, diffluebant, ea erant profana; quae è contrario ad latera menſurae Hini diffluebant, ea erant ſacra, MAIMONIDES, de *Oblationibus* c. II. §. 1. ſqq.

XIV. Caerimoniae, muneri libaminum additae.

§. XIV. Muneri libaminum, quod ad juge ſacrificium pertinebat, hae addebantur caerimoniae. Poſteaquam jugis ſacrificii membra in altare exterius eſſent delata, recitabant ſacerdotes benedictionem ſollemnem, in gradibus, porticui inſertis, conſiſtentes, quo facto ſimilam libaminum obtulerunt. Tum munus Sacerdotis Summi, quod vocatur *ſartaginum*, adolere ſoliti, ad vinum, libamini adjectum, accinxerunt ſeſe offerendum. Quum libaretur, cantarunt Levitae, inſtrumentis concinentibus muſicis. Buccinae in primis novem vicibus fuerunt inflatae. Stabant inter haec ſacerdotes duo ad menſam adipum cum buccinis duabus, ac vicarius Sacerdotis Summi juxta cornu altaris conſiſtebat, manu tenens ſudarium. Sacerdotes autem ſtabant apud praefectum cymbalorum, unus ad dextram ejus, alter ad ſiniſtram.

Li-

Libatione effectui jamjam danda, vicarius Sacerdotis ſummi ſudarium agitabat. Quo facto, praefectus cymbalorum cymbala pulſavit, ſacerdotes buccinas inflarunt, Levitae cecinerunt, ac populus, ſimulac buccinarum ſonus aërem moveret, proni in humum prociderunt. Copioſius haec ediſſeruit idem rerum Judaicarum promuſcondus, MAIMONIDES, de *Fuge ſacrificio & ſuperadditis*, c. VIII. §. 5. 6. 7.

§. XV. Adtendendus porro eſt animus ad modum, quo munus Sacerdoti fuit adlatum. Adtulit homo, oblaturus quid, ex domo ſua ſimilam in caniſtris argenteis, aureis, aliisque metallicis, dummodo ea ex ferro haud eſſent facta. Vaſa enim, quibus munera adferri conſuerant, reſpondebant metallo, e quibus vaſa miniſterii ſacri fuerant facta. Si adferretur Sacerdoti munus ſimilae, ipſe id vaſi miniſterii impoſuit ac in illo vaſe conſecravit. Si munus eſſet co- XV. Munus Sacerdotis quomodo oblatum.

ctum, illud in ſanctuario coxit ac fregit, tus ei impoſuit, adtulit id ad Sacerdotem, & Sacerdos id ad altare deportavit depoſuitque ad angulum ejus cornu, quod auſtrum & occidentem proſpectabat. Laudo teſtem eumdem MAIMONIDEM, de *Oblationibus* c. XIII. §. 12.

§. XVI. Si munus in fruſta frangeretur, fruſtumque non excederet magnitudinem olivae, ac maſſa eſſet quadruplicata, fruſtum illud haud ſolebat ſeparari. Triticum, muneri ſiquod eſſet adhibendum, manibus, ut pulvis inde abſcederet, teri pedibusque calcari conſuevit, ut cortex frangeretur. MENACHOTH, c. VI. §. 5. Quamvis vero munera intra atrium pararentur, panes tamen ex- XVI. Fractio muneris in fruſta & infuſio olei.

Digitized by Google

tra atrium depsere, erat in more positum, dummodo ipsi intra atrium coquerentur. MAIMONIDES, in *librum Mischnicum Menachoth*, c. XI. §. 4. Infusio olei tribus peragebatur vicibus. Primo infundebatur oleum in vas ministerii, quod vas non necessario debebat esse illud, in quo munus erat coquendum. Secundo infundebatur oleum similae, quae cum illo miscebatur. Tertio, quum simila esset cocta & fracta, denuo superinfundebatur oleum, MAIMONIDES, *in eumdem librum*, c. VI. §. 3, Poterant denique munera dari de rebus, quae vel intra vel extra Palaestinam crescebant, de rebus aeque veteribus ac novis, MAIMONIDES, *in eumdem librum* c. VIII. §. 1.

XVII. Pugillatio.

§. XVII. In censum quoque venit & memoratu digna videtur munerum *pugillatio*, per quam intelligo ejus per pugillum sumtionem ac separationem. Sacerdos scilicet tres medios digitos ad volam manus reflexit, eisque farinam accepit, pollice autem & digito minimo superfluum abrasit. Removit vero sacerdos totum tus ad unum muneris latus, cepitque pugillum ex eo loco, ubi plus erat olei, ac imposuit pugillum vasi, quod ministerio sacro erat dedicatum ac unctum. Consecravit porro eumdem in isto vase. Quod si vero pugillum in duobus vasis sacrasset, non habebatur pro pugillo, sed ab integro pugillum is capere debebat. Deinde tus totum collegit, impositumque pugillo in vase consecravit, adtulit ad altare, sale condivit injecitque igni, non cum vase, sed ex vase ministerii sacri. Sin vero munus id esset sacerdotis, haud capiebatur pugillus, sed sal imponebatur toti muneri & ita in ignem projiciebatur. Ex hoc ri-

Digitized by Google

ritu exponenda mihi videntur illa Jeſu, Servatoris optimi, verba, Marc. IX. 49. *πᾶς γὰρ πυρὶ ἁλισθήσεται. καὶ πᾶσα θυσία ἁλὶ ἁλισθήσεται.* Tempus futurum ſupplet, more Ebraeorum, imperandi locum. Πυρὶ per caſum tertium eſt exponendum. Quantum ad rem ipſam adtinet, Chriſtus remedium tradit ſuis, cujus interventu poſſint ignem ſempiternum & poenis exquiſitiſſimis plenum effugere. Id potiſſime ex inciſo ſubjecto pateſcit, ubi prudentiam & concordiam ſuis commendat, monens, ipſis cavendum eſſe, ne ſal, qui in ipſis erat, fieret inſulſus, neve acrimoniae dotibus exueretur. Quem in finem Servator comparat hominem cum munere ſacerdotis, quod per ſalem impoſitum igni reddebatur idoneum. Meminerat Salvator ignis, qui improbos urgebit, ſempiterni. Subjicit illico: *Nam unusquisque igni ſeſe idoneum praeſtet per ſalem, eſt neceſſum, ac omne ſacrificium ſale inſtruatur oportet.* Ignis ille eſt cruciatus & miſeria. Petrus eam vocat, I. Ep. IV. 12. *τὴν πύρωσιν πρὸς πειρασμὸν γινομένην, aeſtum, qui ad probandam vitam integram exſiſtere ſoleat.* Tantum ſalis cuique Deus infundit ac adjungit, quantum, ne exitio plectamur, ſufficit ad animae conſervationem. Salem ei oſtendunt, qui animum ornant prudentia, ac omnem verborum amaritudinem effugiunt atque vitant. (*) Sed e diverticulo in viam nos recipimus. Pugillus ita capiebatur, ut ſacerdos extenderet digitos ſuper volam manus, ac ſimilae partem contineret. Pugillum noſtri vocant eine Kleine hand

(*) Egregia adtulit *Chriſtianus* SCHOETTGENIUS, in *Horis Hebraicis*, ad Marc. IX. 49. p. 249.

hand voll. Pugillus ordinario major haud ſumebatur, nec minor duarum olivarum magnitudine erat capiendus. Pugillus, tus, ſimila & oleum ita invicem comparata erant, ut, uno eorum deficiente, alterum offerri non poſſet. Laudo teſtem MAIMONIDEM, de *Oblationibus*, c. XIII. §. 12. 13. Confer Lev. II. 2. 13.

XVIII. An licuit ferta edere?

§. XVIII. Quomodo munera in cibi locum a Sacerdotibus fuerint deputata, videtur nunc exponendum. Sacerdotes enim erant adminiſtri Regis ſupremi, qui ſeſe ſub ſymbolo *ignis conſumentis* pateſecerat. Regi praeſtantiſſima quaeque, alias in cibum & potum conferri ſolita, offerebantur. Partem ex hiſce adminiſtri capiebant. Quantum vero ad ferta, de quibus diſſerere ſumus aggreſſi, adtinet, ea, ſi fuiſſent ad edendum apta, a prole ſacerdotum maſcula intra tapetes ocellatos, hoc eſt, intra atrium ſacerdotale, una cum alio quolibet cibo de die uſque ad mediam noctem edebantur. MAIMONIDES, *in librum Miſchnicum*, *de Sacrificiis* inſcriptum, commentatus, haec fuſius expoſuit, c. VI. §. 1. 6.

XIX. De fertis votivis.

§. XIX. De muneribus, ſeu fertis votivis dabimus paucula. Cujuscunque in arbitrio erat ſitum, ex quinque illis ſpeciebus, quas ſupra (§. IV.) commemoravimus, munus vel vovere, vel ſponte ſua dare. Licuit quoque unicuique, munus duntaxat libaminum vovere, quod cum ſacrificio haud erat conjunctum. Votis ſeſe obſtringere etiam fas erat, ad donandum Deo tus ſolum, ſeu oleum ſolum, ſeu ligna ſola, ad ſtruem altaris accommodari ſolita. Si quis votum conciperet de ferto dando, hac uti ſolebat formula: *Ecce re-*

recipio in me munus. Si quis, ſponte ſua ſeſe munus eſſe daturum, promitteret, adhibebat hanc formulam: *Ecce haec decima erit munus.* MAIMONIDES, de *Oblationibus*, c. XIV. §. 1. 4.

XX. De muneribus non legitimis.

§. XX. Munera alia erant legitima, alia illegitima. De minus legitimis haec videntur praecipienda. Fermentum ac mel nec ſeorſim, nec cum aliis rebus miſta, ſi vel maxime magnitudo eorum ad olivae ſpatium vix excurreret, offerre, vel donare Deo, erat permiſſum. Lev. II. 11. (**) Praeterea erant ipſa munera minus legitima, ſi integra haud eſſent, aut ſi libamina afferrentur minus legitima, aut ſimila legi adverſa, aut oleum minus legitimum. Siquis autem vinum conſecraſſet minus legitimum ſimilamve minus legitimam, res erat dubia, ac is, qui conſecrationem peregerat, *flagello rebellantium* vapulabat. Flagellum id erat duorum generum: uno infligebantur plagae quadraginta, minus una; altero, quod *rebellantium* dicebant, plagas pro arbitratu diſtribuebant. Ejusmodi ſimila, ſeu vinum ſeu oleum, redimi non poterant, poſteaquam in vaſe erant conſecrata. (***) Vinum diverſa ratione poterat quoque contrahere naevum, qui, quo minus eſſet legitimum, efficiebat. Vinum, oblationibus inhabile, erat illud, quod dulcedine eminebat, quod fumo erat adfectum, quod, ſive ad ignem ſive ad ſolem, erat coctum, & quod ſaporem mutaverat. Verum tamen ſi vinum, ex uvis paſſis expreſſum, ad libamina eſſet adhibitum, vel vinum, de torculari intra quadra-

gin-

(**) MAIMONIDES, de *Rebus ad altare prohibitis*, c. V. §. 1. 4.

(***) Idem, l. c. c. VI. §. 1——5.

ginta a calcatione peracta dies ſumtum, vel vinum de vitibus jugatis, quae ad artificium erant compoſitae, vel vinum de vinea, in agro irrigando conſita, aut in macro (*) loco poſita, vel vinum de vinea minus culta ſumtum, libaminibus cederet; vinum illud, ſi fuiſſet oblatum, tolerabatur quidem, ſed data tamen opera id uſibus ſacris addici, haud erat fas nec laudabile. Vinorum minus legitimorum numero inerat etiam vinum retectum, aut ex vite, oleae inſita, prognatum. Retectum voco illud, cujus dolium patuit jam vino plenum, aut cujus epiſtomium manſit aliquando apertum, wenn das faß oder ſpund offen geſtanden. (**) Simila erat minus legitima, ſi vermes produxiſſet, vel ſi triticum, unde illa erat confecta, vermibus fuiſſet fetum, vel ſi ſimila adhuc de pulvere haberet aliquid reſidui, aut inconvenienter eſſet ventilata. Accipiebatur quidem a ſacerdotibus ſimila, ex ejusmodi confecta tritico, quod ſeminatum fuerat in agro irrigando, vel ſtercorando, vel arboribus conſito, vel in terra haud novellata (ſo nicht das dritte jahr unbeſäet geblieben / und brachfeld geweſen war) minusve culta. Data tamen opera ex ejusmodi tritico ſimila haud erat offerenda. Accipiebatur itidem ſimila, ſi triticum ex fimo bubuli enatum, vel poſtea ſeminatum eſſet. Oleum erat minus legitimum, ſi factum foret ex baccis, aqua maceratis, aut ex olivis ſubactis leviterve coctis, aut ſi id laboraret fecibus, ſeu odore tetro. Accipie-

(*) Qui indigebat ſtercoratione.
(**) IDEM, l. c. c. VI. §. 9. 10.

piebatur, vel potius tolerabatur a ſacerdotibus oleum, proveniens ex agro ſtercorando aut irrigando, aut id, inter quod ſemina erant ſeminata, & illud, quod ex olivis nondum maturis fuerat elicitum (*).

XXI. De ratione diſcriminis inter legitima & minus legitima ferta.

§. XXI. Si rationem indagare lubet, cur diſcrimen illud fuerit introductum inter ea, quae minus legitima, tolerabilia, ac ſatis legitima erant; animo obverſatur magnificentia ac ſplendor Regis Judaeorum ſummi, quippe quem nonniſi dona praeſtantiſſima, ſelecta, exquiſita, pura, pulchra & optima decebant. Quo fine triticum, ad munera haec ſacra adhibendum, ſeminabatur primo anno dimidium, ac altero rurſus dimidium, ſeptuaginta diebus ante paſchale. Deinde ventilabatur bene ac trecenties fricabatur, quingenties vero terebatur. Uvae legitimae deſumebantur de vitibus depreſſis ac vineis, ter in anno cultis. Succus, ex hiſce uvis expreſſus, in dolia immittebatur parva, quae terna atque terna collocabantur, neque ex toto impleri ſolebant, eo quidem conſilio, ne fragrantiſſimus vini odor ſupprimeretur. Si itaque offerretur vinum, ad munus libaminum de ſuperiori parte dolii, ob mucorem, nihil dabatur, nec de ejus inferiori parte, ne feces adſumerentur, ſed de media. Quam puritatis curam praefectus vini adeo habebat cordi, ut vinum, quod ex dolii medio feculentum effluere videbat, non caperet. Vinum habebatur praeſtantius, quod habebat aetatem 40 dierum, poſtquam calcatio erat peracta,

(*) IDEM, l. c. c. VI. §. 11. ſqq.

vel biennii, triennii, & ultra. Vinum quoque vetus, dummodo saporem non mutasset, inter legitima referebatur. Oleum, ad munera adhibendum, in classes distinctum fuit novem. Oleum aliud erat *primum*, quod ex olivis effluebat, in summo vertice oleae crescentibus ac in corbe contusis. Aliud erat *secundum*, quod ex eisdem olivis, prelo subactis, emanabat. Aliud erat *tertium*, quod majori labore, licet eadem ratione, fiebat. Aliud porro erat *quartum*, quod ex olivis contusis profluebat, quas aliquis, strictis promiscue oleis, in tectum deportaverat. Id, quod ex eisdem, prelo subactis, vice prima expressum fuit, obtinuit nomen *quinti*. Quod secunda vice ex eisdem exprimebatur, vocabant *sextum*. Prelum seu torculum vel calcabatur, vel circumagebatur. Calcabat illud unus, unde lux oboritur dicto Es. LXIII. 3. Trahebant vero illud quatuor viri. Idem labor uvis & olivis exprimendis insumi consuevit. Denique si quis ex olivis, in corbe contusis, eliceret oleum, proveniebat ei exinde *septimum*. Sin illud proveniret ex olivis, prelo subjectis, vocabatur *octavum*. Ac si denuo eae subjicerentur prelo, oleum inde existebat *nonum*. Licet autem omnia haec olea, ad munera Deo ferenda, legitime adhiberentur, praestantissimum tamen oleum erat illud *primum*, cui proxima erant *secundum* & *quartum*, quibus succedebant excellentiae gradu ulteriori *tertium*, *quintum* & *septimum*, ac denique *sextum*, *octavum* & *nonum*. Qui fusius haec est persecutus, conferri potest MAIMONIDES, de *Rebus prohibitis*

ad altare, c. VII. §. 4. ſqq.

§. XXII. Quis vero erat Meſſia praeſtantior? quis puritate excellentior? quis perfectionibus magis eminebat? Ipſe ab omni peccato & naevo eſt immunis, & a peccatoribus, quantum ad peccati conſortionem adtinet, ſegregatus. Qua enim filius eſt Dei, puriſſimarum ac divinarum perfectionum infinitatem obtinet; qua vero hominis eſt filius, virginem habuit matrem, ex qua ſanctus in lucem fuit editus. Impoſtorum nonnulli eum Chriſti natalitium honorem ſibi etiam tribuere ſtuduerunt. Sed fruſtra. Simon Magus perhibuit, ſe ex matre Rachele eaque virgine, ut Chriſto detraheret, natum fuiſſe, dummodo ea ſint fide digna, quae leguntur in *Recognit. Apoſtol.* L. II. c. 14. p. 508. Pari modo Terebinthus, ſeu Buddas, ſe ex virgine natum, adfirmavit, teſte SOCRATE, H. E. L. I. c. 22. De Budda, ſeu Butta, differuntur praeterea paſſim nonnulla ejusdem generis apud CLEMENTEM ALEXANDRINUM, L. I. *Strom.* p. 305. CYRILLUM, in *Catecheſi* VI. ac COTELERIUM, *Tom. I. Patrum Apoſtol.* p. 508. Ajunt quidem, increpationem, a Chriſto in matrem emiſſam, eſſe duriorem, quam legimus Joann. II. 4. Dixit videlicet ei in nuptiis Cananaeis: Τί ἐμοὶ καὶ σοὶ, γύναι. οὔπω ἥκει ἡ ὥρα μου. Sed haec indubie per modum adfectus teneri & commiſerantis ſunt prolata. Maria enim ex verborum blandiori ſono, Jeſum eſſe opem laturum, collegit. Verba Jeſu ſic interpretanda duco: *Quid mihi & tibi cum iſta re, cum penuria vini, ejusque ſublevatione eſt negotii? ordo exi-*

XXII. Meſſias erat fertum praeſtantiſſimum.

Digitized by Google

git, ut architriclinus iſthaec curet. Ut ſuccurreret, adhuc temporis ratio nondum ſuaſit. Vox γύναι, femineo ſexu compellari ſolito communis, exponi debet per *mollicudam, adfectuque commiſerandi perfuſam.* Formula loquendi haud diſpar, Matth. XXVII. 19. legitur, qua utitur uxor Pilati, ad maritum haec mittens mandata: Μηδὲν σοὶ καὶ τῷ δικαίῳ ἐκείνῳ, *Nihil negotii tibi & illi juſto commune eſto, fac illum miſſum* (*). Ita David II. Sam. XVI. 10. מַה־לִּי *Quid mihi vobisque hoc eſt curae, filii Zerujae?* וְלָכֶם בְּנֵי צְרוּיָה Et quomodo Jeſus, ni ipſe fuiſſet ſanctus, ſeſe pro nobis conſecrare ac juſtitiae divinae ſatisfacere potuiſſet? quî ipſi pro arbitratu vitam ponere ac reſumere licuiſſet, ni exſtitiſſet ipſe vitae mortisque dominus, hoc eſt, Deus, ſanctitate plenus? Quis eum ad redimendos nos adigere potuit? ſponte ſua ipſe, pro nobis ſeſe in ſertum ac ſacrificium eſſe ceſſurum, promiſit. Nec defuerunt tura vel oleum; preces ejus ſanctiſſimae tus repraeſentabant; humana autem ipſius natura perfectionibus divinis imbuta & perfuſa eſt, quae communio in ſacris litteris cum inunctione, oleo gratiſſimo facta, comparatur. Quare effectus fructusque nonniſi ſancti ex victima ſanctiſſima ac ferto praeſtantiſſimo exſiſtere potuerunt. Oritur inde fidelium ſanctitas ac regni, e mentibus compoſiti, pulchritudo, ad quam ipſe Juda Leo Bar Bezaleel, qui, imperante Rudolfo II. docuit Pragae, reſpexit in libro ſuo, quem inſcripſit ספר נצח ישראל fol.

(*) S. R. *Georgii* RAPHELII *Annot. in Sacram Scripturam ex Herodoto*, p. 182. ſq.

fol. 38. p. 2. col. 1. commonens lectorem, ne ea, quae de regno Christi in sacris litteris sunt memoriae prodita, in sensu externo, sed spirituali potius, capiat. En verba: וכבר דברי׳ אלי אמרנו לך שלא תפעה לפרש גשמים רק שבאו לימר לך עניין המשיח Sunt, qui regnum Christi in animis hominum: מופשט מן הגשמי ac instauratione imaginis Dei sanctissimae esse situm, scite tradunt, minus tamen solide in illis Christi verbis, Luc. XVII. 21. sese deprehendisse doctrinae ejus nervum arbitrantur: *ecce regnum illud Dei*, de cujus adventu quaeritis, ἐντὸς ὑμῶν ἐστίν, *inter vos jam exsistit*. Ebraei adhibuissent suum illud בְּתוֹכְכֶם. Nequaquam de Pharisaeis, quibuscum res ei erat, Jesus perhibet: *Regnum Dei est intra vestras mentes*. Quis enim ignorat, Pharisaeos, de adventu regni quaerentes, ei nondum dedisse nomen? Nec ea Christi est mens vel sententia, ut *regnum Dei in interioribus, in animo, viribusque animae esse instaurandum*, dictitet. Vocula enim ἐστιν denotat, regnum illud Dei jam exsistere. Pharisaei scisscitabantur: πότε ἔρχεται, *quandonam venit regnum Dei?* Respondet Christus: *Ecce, recludite modo oculos, id, quod quaeritis, jam adest, jam exsistit*. Regnum vero Christi consistere in mentium humanarum puritate ac ad beatitudinem sempiternam conformatione, Paulus & luculenter decernit & originem ejus puritatis ex Christo, quatenus is sese loco nostro pro ferto ac victima ad patrem expiandum & vovit & consecravit & obtulit, deducit. Eph. V. 25. 26. 27. II. Cor.

V. 14. 15. 21. Rom. XIV. 9. 17. Memorabile eſt illud Chriſti dictum, Joann. XVII. 19. quo oſtendit, Chriſtianos per veritatem reddi ſanctos, recte ſuſceptam & in animum demiſſam; ſanctitatis vero illius fundamentum conſecrationi illi, qua Chriſtus ſeſe, inſtar piaculi ac ferti, vovit obtulitque, inniti.

XXIII. Chriſtiani quomodo offerunt Deo fertum amoenum?

§. XXIII. Quo pacto Chriſtus eam quoque vim omnibus adquiſivit, ſuisque adplicat & donat, qua poſſint ipſi quoque fertum Deo offerre, Deo gratum ac in Spiritu Sancto ſacratum. Paulus eo fine ſervitium inter gentes adminiſtrabat difficillimum, communicans cum eis Euangelii doctrinam, id potiſſimum contendens ac in votis habens, ut exſiſteret ἡ προσφορὰ τῶν ἐθνῶν εὐπρόσδεκτος, ἡγιασμένη ἐν πνεύματι ἁγίῳ, *Oblatio illa, quam gentes, ad Chriſtum converſae, efficiebant, jucunda beneque accepta, in Spiritu Sancto conſecrata.* Rom. XV. 16. De hoc ferto, quod per preces, virtutes earumque famam egregiam, caritatem alteri cuicunque praeſtitam, fidem in primis, animique & corporis ad nutum Dei conformationem ac conſecrationem Deo offertur, ac ſub novo foedere eſt offerendum, dudum vaticinatus fuit Malachias, I. 11. quocum conſentit R. Saadias, cujus verba Kimchius, *in Commentario*, ad *Hoſ.* II. 16. produxit.

Digitized by Google

CAPUT II.

Quod Caſus Conſcientiae complectitur.

§. I. Scrupuli in ſolicitas hominum mentes incidebant varii, tractandis muneribus, ſeu fertis, intentas. Deportabantur munera ad altare, ea tamen cautione adhibita, ne eodem deportaretur *logus* olei, pro leproſo adlati, neu eo deportarentur primitiae, neve panes pentecoſtales, quamvis illa agitarentur. Peracta autem fuit agitatio illa verſus orientem, deportatio e contrario ad occidentem, ita ut agitatio deportationem praecederet (*). Licet etiam munera agitarentur quaedam citra deportationem; munus tamen manipuli paſchalis ac fertum feminae, adulterii ſuſpectae, & agitari & deportari moris erat. Sed panes facierum & munus libaminum nec agitabantur, nec deportabantur. (**) Quantum ad fermentum adtinet, memorandum eſt, ferta fermento vacaſſe, oblationi deſtinata; nihiloſecius tamen panes nonnullos ſacrificii gratiarum actorii fuiſſe fermento imbutos (***). Fertum in ſodalitio, vel a tota Eccleſia offerri, erat nefas (****). Quod ſi autem munus cum holocauſto conjungeretur, holocauſtum praecedere debebat (*****). Si

I. Scrupuli, circa ferta enati.

(*) MAIMONIDES, *in librum Miſchnicum de Muneribus*, c. V. §. 6.
(**) IDEM, c. V. §. 4. ſq.
(***) IDEM, c. V. §. 1.
(****) *Siphra*, Part. I. fol. 70. p. 1.
(*****) *Siphra*, Part. II. fol. 257. p. 1.

Digitized by Google

quis infusionem olei omisisset, vel commistionem similae cum oleo neglexisset, aut fertum non fregisset in frusta, vel id sale haud condivisset, vel nec agitasset, nec deportasset; munus nihilominus legitimum manebat (*a*). Siquis in munus peccatoris, vel munus mulieris, adulterii suspectae, oleum infudisset, erat reus. Sed si vas, oleo repletum, imposuisset muneri peccatoris vel mulieris hujusmodi, tum non erat reus (*b*). Haec ad fertorum respiciunt oblationem, ac scrupulos, qui eam adtingebant. Haud alienum fuerit, docere, qua ratione quaestiones dubias, quae fortasse incidebant, diremerint Judaeorum Doctores. Siquis occurreret scrupulus, siqua incideret disputatio, adsessores Summi Consilii, quod *Synedrium Magnum* vocabant, frequentes convenerunt. In loco consilii praesto fuerunt auditores, queis tria scamna fuerant posita. Hi rationes decidendi controversias, & ipsas decisiones excepetunt calamo diligenti. In primo scamno adsidebant ei, quos Synedrii vocabant candidatos. Ex annotationum congerie sensim excreverunt volumina, quibus ei utebantur, qui primo Hierosolymis, ac tandem Babylone, privatis institutionibus discipulos formabant. Si scrupulus incideret majoris momenti, ipsi Hierosolymitani cum Babylonicis in tribus festis solemnioribus frequentes (*c*) coibant & conferebant. Ex

sche-

(*a*) MAIMONIDES, l. c. c. III. §. 1.
(*b*) BARTENORIUS, in *librum Mischnicum de Muneribus*, c. V. §. 4.
(*c*) TANCHUMA, fol. 33. 4. *Legis peritus quidam singulis annis Hierosolyma adscendebat.*

Digitized by Google

ſchedis adſeſſorum Synedrii Summi compoſuit R. Jehuda Codicem Miſchnicum. Ex praelectionibus & diſputationibus, quae porro fuerunt habitae, orta eſt Gemara utraque, & Hieroſolymitana & Babylonica

§. II. Ad fertorum deſcriptionem ea ſunt porro adferenda, quae ſcrupulum movere conſueverant. Nefas erat, ex eodem ferto offerre partem dimidiam in placentis craſſis, partem vero dimidiam alteram in tenuibus placentis. Nec poterant ferta coqui in focis, ubi igne ſubjecto una ſuper focum collocata olla ſuccendebatur. Ferta in tegulis calefactis, ſed in furno, erant coquenda. Placentas craſſas ut oleo inungerent, mos non ferebat, licet placentae tenues eo ungerentur (*d*). Oleum ipſum vaſi vacuo infundere, tum in ferto ſartaginis, tum in ferto cacabi, erat nefas (*e*). Munus, ſeu fertum ſacerdotis, non poterat bis vel quater duplicari, quum eſſet maſſa, nec fertum ſartaginis, quod Sacerdos offerebat Summus, poterat duplicari, eo quod ex fertis illis pugillus haud capiebatur (*f*). Quodſi quis agnos mactaſſet pentecoſtales, ea mente ac fini, ut die craſtino ederet de panibus facierum, panes illi fiebant foetidi, ac ipſe ſibi poenam exciſionis contrahebat (*g*). Si una placenta, quae cum agnis pentecoſtalibus conjungebatur, eſſet immunda reddita, vel ſi unus panis facierum eſſet munditie exutus, tum

II. Scrupuli alii, circa ferta enati.

(*d*) *Siphra*, part. I. fol. 73. 1.
(*e*) Ibidem, fol. 74. 1.
(*f*) Ibidem, fol. 75. 1.
(*g*) MAIMONIDES, in *librum Miſchnicum de Muneribus*, c. II. §. 2.

Digitized by Google

reliquas placentas & reliquos panes edere licebat. Panis ſacrificii, quod vocabant *gratiarum actionis*, ſacrificium haud reddidit foetidum, ſi foetidus ipſe foret factus. Pari ratione agni pentecoſtales non ideo reputabantur pro foetidis, licet panes pentecoſtales foetorem contraxiſſent (*b*).

III. Scrupuli circa munera libaminum.

§. III. Scrupuli, ad munera libaminum ſpectantes, ita fuerunt animis a corona Doctorum exemti. Simila vel oleum libaminum non retardabat vinum, nec vinum retardabat ſimilam vel oleum, nec libamina retardabant ſacrificium. Ea autem ſeſe viciſſim retardare dicuntur, quorum unum ſine altero offerri non potuit. Quum igitur res una ſacra poterit citra alteram offerri, tum unum non retardat alterum. Ita hodie offerri potuit ſacrificium, libamen vero demum poſt decem dies, nempe ſi in vaſe ſacro nondum eſſet conſecratum. Sin in illum per noctem libamina detinerentur, ea fiebant minus legitima. Libamina, nonniſi de rebus communibus, poterant offerri, nequaquam de trumis (*i*), de decimis ſecundis, de primitiis (*k*). Nec libamina reddebantur foetida, licet ſacrificium eſſet foetidum (*l*).

IV. Scrupuli circa pugillationem.

§. IV. Ad *pugillationem* (*) legitime peragen-

(*b*) MAIMONIDES, l. c. §. 2. 3.

(*i*) תרומות ἀφαιρήματα, partes ſexagenae, ſeptuagenae &c. rerum & poſſeſſionum, quas ſolebant in ſacrificia vel ferta convertere.

(*k*) MAIMONIDES, de *Oblationibus*, c. II. §. 12. 13.

(*l*) MAIMONIDES, in *librum Miſchnicum de Muneribus*, c. II. §. 4.

(*) Pugillatio קמיצה ita fiebat a ſacerdote, ut tribus me-

gendam ſcrupuli nonnulli adhaeſerant, quas magiſtri Judaeorum ita extricare ſunt conati. Si pugillus ferti titulo minus legitimo eſſet ſumtus, ipſe nihilo ſecius erat legitimus, excepto peccatoris ferto, ac ferto mulieris, adulterii ſuſpectae. Sed pugillus hiſce ex cauſſis reddebatur minus legitimus; *Primo*; ſi perſona, pugillum eximens, ei miniſterio eſſet inhabilis, verbi gratia, homo extraneus, homo lugens, homo illotus; *Secundo*; ſi pugillus manu ſiniſtra eſſet ſumtus. *Tertio*; ſi granum ſalis vel turis in pugillo contineretur; *Quarto*; ſi pugillus excederet legitimam magnitudinem, vel deficeret. Si quis eo tempore, quum pugillum eximebat & continebat manu, ſe pugillum vel tus adolere velle extra templum cogitaret, tum fertum indole ſua legitima excidebat, nec actio haec ipſa poenam adferebat exciſionis. Sin vero cogitaret, ſe in craſtinum velle pugillum vel tus adolere, tum pugillus habebatur pro foetido, ac poenam inducebat exciſionis. Quod ſi quis prius de adolendo pugillo extra templum cogitaret, quam de illo in craſtinum adolendo, vel contra; tum pugillus fiebat minus legitimus, nec cum poena exciſionis erat conjunctus (*m*). Si pugillus, tus vero minime, foetorem contraxiſſet, poenae exciſionis locus haud erat, quae tunc demum valebat, quum utrumque factum eſſet foetidum (*n*). Si quis ea mente pugil-

mediis digitis, ad volam manus incurvatis, farinam acciperet, & pollice ac digito minimo ſuperfluum abraderet.

(*a*) MAIMONIDES, *in librum Miſchnicum de Muneribus*, c. I.

(*b*) Idem ibidem, c. II. §. 5.

gillum ſumſiſſet, ut extra templum ederet rem, quae non edebatur, e. g. pugillum, ut ut rem adoleret, quae non adolebatur, e. g. reliquias ferti; tunc pugillus manebat legitimus. Si pugillus unius ferti commiſtus eſſet cum pugillo alterius ferti, vel cum ferto ſacerdotum, immo Sacerdotis Summi, vel cum ferto libaminum, tum pugillus adhuc erat legitimus, ſiquidem omnia iſthaec ad ignem altaris ſpectabant (*o*). Si duo ferta, de quorum neutro pugillus erat ſumtus, ſecum invicem commiſcerentur, ac de neutro pugillus capi poſſet, ea erant minus legitima. Si pugillus cum ferto eſſet commiſtus eo, de quo nondum ſumtus erat pugillus, is nequaquam adoleri conſuevit. Si pugillus cum ferti ſui vel ferti alterius reliquiis eſſet commiſtus, illum adolere erat nefas; Verumtamen ſacerdos proprietariis utilitatem praeſtiterat debitam, ſi ejusmodi pugillum igni altaris injeciſſet & combuſſiſſet. Si pugillus immunditiem contraxiſſet, ac in altari nihilominus eſſet incenſus, eam rem Sacerdotis lamina frontalis expiare credebatur, minime vero, ſi is extra atrium deportatus & deinde in altari incenſus fuiſſet. Si reliquiae ferti immunditie ſcaterent, vel ſi ipſae eſſent combuſtae aut periiſſent; tunc pugillus haud erat legitimus. Si pugillus minor, quam par erat, exſiſteret, aut ſi fertum eſſet decima minus, vel ſi oleum ad logi menſuram non accederet, tum ſingula minus legitime ſe habebant (*p*). Si quis ſexaginta daret decimas, loco ferti, tum nonniſi unus pugil-

(*o*) Idem, l. c. §. 2.
(*p*) MAIMONIDES, l. c, c. III. §. 1. ſqq.

Digitized by Google

gillus, nequaquam pugilli ſexaginta, ſumebatur (*q*). Pugillum excipere, extraneo haud licebat. Pugillo ſua conſtabat menſura, ac mos ita ferebat, ut deberet non excedere, nec deficere. Si ferta forent commiſta, pugillus capiendus haud erat, nec edi poterant reliquiae, niſi pugillo legitime exinde deſumto (*r*). De ferto ſacerdotis pugillus haud capiebatur. Ferta, quae fortaſſe feminae ſacerdotum, ſeu filiae ſacerdotum ac Iſraëlidarum offerrent, ea non cedebant in cibum, ſiquidem partem ſuam edere non poterat maritus. Pugillus ipſe potius offerebatur, ac reliquiae in locum cineris diſpergebantur, qui ſitus erat ad latus ſcalae altaris orientale. Poterat porro pugillus in quocunque loco, vel ipſo in templo, capi (*s*). Si homo idoneus cepiſſet pugillum, eumque dediſſet minus idoneo: aut ſi eum, ex vaſe ſacro captum, impoſuiſſet vaſi profano; pugillus ipſe a forma legis abhorrebat. Nec minus pugillus a ratione legitima diſcrepavit, ſi fertum vaſi ſacro haud fuiſſet impoſitum: ſi pugillus vaſi ſacro impoſitus non eſſet: ſi fertum cum oleo extra oleum eſſet commiſtum. Attamen illud erat legitimum, ſi extraneus ei infudiſſet oleum, vel etiam in fruſta fregiſſet, aut illud condiiſſet ſale. Sin vero extraneus deportaſſet fertum ac agitaſſet, ſacerdos illud rurſus ac denuo deportare & agitare conſueverat. Pugillus ſi extra atrium eſſet ſumtus, eumdem de integro ac ites

(*q*) SIPHRA, Part. I. fol. 70. 2.
(*r*) SIPHRA, fol. 71. 1. 2.
(*s*) MAIMONIDES, de *Oblationibus*, c. XII. §. 10. ſqq.

Digitized by Google

iterum in atrio ſumere decuit. Si pugillus ſuper atrii pavimentum eſſet diſperſus, colligere eum licebat. Pugillus erat legitimus, qui duplex ex uno ferto eſſet deſumtus. Si reliquiae ferti redditae fuiſſent immundae, poſteaquam pugillus erat ſumtus: ſi interea reliquiae eſſent vel combuſtae, vel extra atrium deportatae, vel amiſſae; tum pugillus haud adolebatur. Sin vero ſacerdos illum jam combuſſiſſet, is quidem tolerari ſolebat. Si quid tantum remanſiſſet de reliquiis, pugillus poterat comburi. At reliquiae iſtae non edebantur. Si pugillus fuiſſet exemtus, ac menſae, quae panes facierum ſuſtinebat, impoſitus, debebat is inde vaſi ſacro imponi, ac ita demum, ut adoleretur, conſecrari. Haec & alia ejusmodi multa exſequitur MAIMONIDES, de *Rebus ſacris, in minus legitimas mutatis, capite toto undecimo.*

V. Scrupuli, circa eſſionem fertorum enati.

§. V. Ferta quomodo eſſent edenda, haud erat ſemper in aprico. Magiſtri dubitationes, quae inciderant animosque fatigarant nonnunquam, ita exſolvere ſtuduerunt. Sacerdos, miniſterio ſuo in aede divina vacans, ex munere cocto partem capiebat diviſam, quantulacunque ea foret, quam ſtatim edere ei licebat. Ex reliquiis ferti ſimilae haud capiebat particulam ſacerdos unus, ſed totas potius reliquias. Particulam enim coquere non poterat; quare inde unus ſacerdos integras percepit reliquias ejus ferti, alter ferti alterius, ac ſic porro. (t) Praeterea fas non erat, ut reliquiae fertorum fermento imbuerentur, licet eae cum melle

(t) MAIMONIDES, de *Oblationibus*, c. X. §. 17.

le coqui poſſent (*w*) Edebantur reliquiae legitima ratione, licet fertum ſale haud eſſet conſperſum: licet ad altare non eſſet deportatum: licet etiam tus totum, ei additum vel addendum, non eſſet combuſtum. Edere tamen reliquias erat nefas, ſi vel de ipſo munere vel de pugillo ejus aliquid deficeret. (*x*)

§. VI. Ferta votiva & voluntaria ſcrupulis nonnullis anſam facile ſuppeditabant. Operae pretium ſane fuerit, exponere ea, quae definitionibus ſuis enucleare Doctores fuerunt conati. Duabus perſonis haud licebat unum vovere fertum. Si quis fertum reliquiſſet filiis ſuis, illud ab eis offerebatur legitime (*y*). Si quis ſponte daret oleum duntaxat, tum pugillus ex eo ſumebatur, ſale condiebatur, ac injiciebatur igni, reſiduum vero edebatur a ſacerdotibus. Vinum, quod citra votum ferti loco dabatur, ſale condiri ac ſuper altaris pavimento libari conſuevit. Tus ſolum, ex voto adlatum, ſale condiri ac totum comburi ſolebat. Si quis ſacrificium voviſſet, cui a gratiarum actione adhaeſit nomen, idque de rebus communibus, ſeu domeſticis, deſumtum, nec non panem conjunctum & de decimis depromtum; is panem de decimis offerre non poterat, quia etiam tum panis de rebus communis uſus erat dandus, licet ipſe decimas illas vendere, pecuniisque inde acceptis panes illos

VI. Scrupuli, circa ferta votiva & voluntaria.

(*v*) MAIMONIDES, in *librum Miſchnicum*, *de Muneribus*, c. V. §. 2.

(*x*) SIPHRA, part. I. fol. 72. 1.

(*y*) MAIMONIDES, de *Oblationibus*, c. XIV. §. 2. 3.

los posset emere & comparare. (z) MAIMONIDES inter haec tradit modum, quo oleum & vinum voveri debuerint, nominatim praecipiens, ex vino voveri haud potuisse nonnisi tres, vel quatuor, vel sex logos. Si quis fertum sartaginis vovisset, idque in cacabo fuisset oblatum, ipse debito suo perfunctus esse non credebatur; fertum ipsum tamen tolerabile vocabatur. Fertum sartaginis, sponte adductum & in cacabo oblatum, minime habebatur legitimum. Si quis vovisset duas decimas in uno vase, ac illas obtulisset in duobus, vel vicissim; tum aberraverat a forma oblationis legitima. Sponte si eas dedisset, tum fertum in eis, quae minus sunt legitima, numerabatur. Vota haec pro ratis fuerunt reputata, quae Sacerdotibus plus emolumenti, quam damni adferebant. Lubet eorum partem plurimam capitulatim recensere. (1) Si quis ex hordeo desumendum vovisset munus, idque de tritico offerret: (2) Si quis vovisset farinam, similam vero offerret: (3) Si quis fertum vovisset, oleo & ture vacuum, postea autem utrumque adderet: (4) Si quis dimidiam decimam vovisset, ac deinde offerret integram: (5) Si quis decimam cum dimidia vovisset, ac duas offerret decimas: (6) Si quis vovisset *fertum*, ac unum ex quinque speciebus, unde id solebat desumi, offerret: (7) Si quis *ferta* vovisset, & duo ex illis quinque speciebus offerret: (8) Si quis vovisset speciem fertorum, ac offerret duo diversarum specierum ferta: (9) Si quis vovisset

(z) MAIMONIDES, l. c. c. XVI. §. 14. sqq. & XVII. §. 12. sqq.

Digitized by Go

ſet certam ferti ſpeciem, ac oblitus fuiſſet illius ſpeciei, poſtea autem omnes illas quinque ſpecies offerret: (10) Si quis voviſſet plus, quam ſexaginta decimas, ac adferret deinde re ipſa ſexaginta in vaſe uno, &, quod erat reliquum, in vaſe alio: (11) Si quis voviſſet CXXI. decimas, ac deinde cabum in vaſis duobus offerret, nempe ſexaginta decimas in quolibet vaſe, unamque decimam in vaſe tertio: (12) Si quis voviſſet decimas, ac offerret duas: (13) Si quis certas voviſſet decimas, & numerum oblitus fuiſſet; daret vero ſexaginta: (14) Si quis ſpecies ferti certas voviſſet ac numerum ſeu determinationem earum fuiſſet oblitus; ac tum daret ſexaginta decimas de qualibet iſtarum quinque ſpecierum: (15) Si quis voviſſet ſacrificium, quod a gratiis agendis adpellationem traxit, ſine pane, vel ſine libaminibus, is voto ſuo explendo exſolvendoque haud erat obſtrictus. Secus vero decernendum putarunt Judaeorum magiſtri de eo, qui panes ſacrificii, de gratiis agendis cognominati, voviſſet. (16) Si quis concepiſſet votum de pane adjungendo ad ſacrificium alterius euchariſtici, ejus votum habebatur ratum (*a*).

VII. Meditatio Chriſtiana.

§. VII. Difficultates porro tot ac tantae de fertorum minus legitimorum numero inciderunt, ut nos Chriſtiani Deo ter optimo ſempiternas debeamus gratias, qui nos a jugo tam inſuavi ac tam intolerabili, quod nec Apoſtoli nec patres eorum valebant ſuſtinere, liberaverit, con-

(*a*) MAIMONIDES, de *Oblationibus* c. XVII. & in *librum Miſchnicum*, *de Muneribus* c. XII. XIII.

tra vero jugo Chriſti grato ac jucundo (*b*) nos voluerit obſtrictos. Chriſtus enim, uno ſacrificio ac uno ferto ſe in cruciatus pro nobis objiciens miſerrimos, omnes conſecravit, qui ordinem gratiae propoſitum ſequuntur, adeo ut nobis de externis fertis non ſit cogitandum, ſed ut potius nos ipſi ſimus ea ferta legitima, quibus, ſi Chriſti manſuetudinem imitemur, Deus & Angeli (*c*) boni delectantur. Recenſebimus igitur, mente in gratiarum actionem effuſa ac jugo illo exſoluta, genera fertorum, quae minus legitima eſſe exiſtimabantur. Ferta enim varia pro minus legitimis habebantur, praecipue (1) Si munus non eſſet impoſitum vaſi ſacro: (2) Si pugillus, ei adnexus, haud eſſet impoſitus vaſi ſacro: (3) Si pugillus eſſet in altari ſine vaſe ſacro oblatus: (4) Si pugillus cum oleo extra atrium eſſet commiſtus: (5) Si homo, muneri ſacro inhabilis, ferto oleum infudiſſet, e. g. extraneus: Sin homo ejusdem conditionis commiſcuiſſet fertum cum oleo & id in fruſta fregiſſet, vel ſale condiiſſet, munus erat legitimum. (6) Sed ſi homo ejusmodi deportaſſet ferta ad altare, ſeu agitaſſet, ſacerdos ea iterum deportare & agitare debebat, licet ferta; citra illam deportationem & agitationem, tanquam legitima tolerabantur. (7) Si oleum ferti alterius in fertum cecidiſſet, aut oleum eſſet profanum, fertum erat minus legitimum: (8) Fertum praetera pro legitimo haberi non poterat, ſi minus olei eſſet adfuſum, vel ſi mi-

(*b*) Matth. XI. 30.
(*c*) Luc. XV. 7. 10.

minus turis eſſet impoſitum. Sed ſi oleum & tus menſuram ſtatutam excederet, nempe duos olei logos duoſve turis pugillos, fertum erat legitimum. (9) Fertum peccatoris erat minus legitimum, ſi ei vel ejus pugillo oleum fuiſſet adfuſum. Sin tus illi eſſet impoſitum, tus illud iterum colligebatur. Si reliquiis ferti adfuſum eſſet oleum, poſtquam pugillus inde exemtus eſſet, munus erat legitimum, ſiquidem pugillus erat legitimus. Si fertum aquis eſſet maceratum, tum pugillus erat legitimus (*d*).

§. VIII. Si inquirere lubet, quaenam libamina a forma legitima abhorruerint, tum ea, quae diſſerere conſtitui, non poſſunt non adtingi. Sacrificium minus legitimum de altari haud deſumebatur rurſum. Libamina vero minus legitima rurſus ab altari revocabantur (*e*). Libamina, quibus aliquis ineſſet defectus, ex quo oblatum eſſet ſacrificium, immo ante ipſam oblationem, erant legitima ac per alia libamina ſolebant ſuppleri. Si libamina conſecrata eſſent in vaſe ſacro, ſacrificium vero, cui ea erant adjungenda, mactationis tempore temeraretur naevo ac redderetur minus legitimum, tum libamina illa non offerebantur. Si ſacrificium redderetur minus legitimum, ab eo tempore, quo ſanguis erat exceptus, libamina, quamvis conſecrata, non offerri debebant. Sin vero ſacrificium aliud eodem tempore ac titulo eſſet praeſto, cum eo iſthaec libamina conſue-

VIII. Libamina minus legitima.

(*d*) MAIMONIDES, de *Rebus ſacris, legitima forma carentibus*, c. XI. §. 6. ſq.

(*e*) MAIMONIDES, l. c. c. III. §. 14

verant conjungi. Si id praesto haud esset, ea nihilosecius comburebantur. Uterque hic casus restringendus est ad publicum Ecclesiae sacrificium. Sed cum sacrificio alio privato libamina ejusmodi haud erant conjungenda (*f*).

IX. Usus fertorum illegitimi.

§. IX. Usus fertorum, in legem peccantes, erant haud uni. Praevaricatio contigit, quoties usus illi minus legitimi erant. Si fertum foetorem contraxisset, vel combustione dignum (*g*), aut minus legitimum esset factum (*h*), tum in illo admittebatur praevaricatio. Quae ipsa obtinuit locum, si pugillus ferti extra atrium esset deportatus aut in templo de nocte exstitisset, non quidem in ferto, sed in ferti reliquiis. Sin vero pugillus redditus esset immundus, in reliquiis ejus praevaricatio haud committi consuevit. (*i*).

X. Abusus Talmudicorum, in solvendis scrupulis.

§. X. Id, quod Doctores Judaeorum in subtilissima rituum ejusmodi investigatione praetermiserunt nullaque dignati sunt attentione, ceteris omnibus erat excellentius ac anteponendum. Magistri illi, qui propemodum umbras exenterare ac culicum cerebra pervestigare ipsosque percolare noverant, non respiciebant in ritibus hisce definiendis ad fidem, ad amorem erga Deum & alium quemvis, ad justitiam, ac, ut verbo dicam, ad instaurationem imaginis divinae in animis humanis. Citra hasce animi dotes

(*f*) MAIMONIDES, l. c. c. XII. §. 5. sq.

(*g*) Per cogitationem, de alieno id comedendi tempore.

(*h*) Per cogitationem, de alieno id comedendi loco.

(*i*) MAIMONIDES, de *Praevaricatione*, c. III. §. §. 9.

Digitized by Google

dotes ferta millena Deo erant ingrata. Quoties ferta ei obtulerunt legitima, quorum animos urgebat impedimentum, quo omnis ferti complexus redditus fuit minus legitimus? Nonne saepius fertum habitum fuit pro legitimo & praestabili, quum animus offerentis excandesceret ira, vel odio flagraret in homines alios, ab eodem Deo patre creatos? Praestitisset sane, fertum ac libamen in templo relinquere extra immolationem, ac ad quinquaginta abire milliaria, ad reconciliandam prius cum inimico gratiam; quam ferta offerre, instar hecatombarum, animo ad concordiam nondum composito. Utrumque Sanctissimus Servator Doctoribus Judaeorum egregie exprobravit (*k*). Nos fidem, ni fallor, fecimus reprehensioni, qua Christus Judaeos adfecit, oculatam. Ubinam enim, quaeso, Magistri docuerunt, fertum fieri minus legitimum, ni fides, amor, ac divinae virtutes reliquae animum offerentis exornent?

CAPUT III.

Exhibens expositionem dictorum, in sacris litteris passim obviorum.

§. I. Quum legitur, Lev. II. 4. de ferto, quod in furno est coctum, animum adpellere decet, ad intelligendum ejusmodi fertum, quod in placentas crassas & tenues, in furno coctas, est formatum. Per mu- I. Exponuntur dicta, Lev. II. 4. 5.

(*k*) Matth. V. 23. 24. XXIII. 23. 24.

munus ſartaginis, v. 5. memoratum, Judaeorum magiſtri intelligunt fertum, quod in ſcutella, quae operculo caret, paratum fuit. Supra nonnulla adtulimus, c. I. §. 7. 8. 9. quibus lucem hiſce fenerari licet. In primis vero conferendus eſt R. Salomo Iſaacides, (quem vocant vulgo *Raſchi*) in expoſitionibus, quas dictis iſtis ſubjecit. Nullus enim Judaicorum commentatorum ritus patrios curatius ipſo habuit compertos.

II. Lev. II. 8. §. II. Legimus nonnulla, Lev. II. 8. de adlatione muneris ad ſacerdotem. Magiſtros ſi ſequimur, fertum intelligitur coctum, oleo infuſo & ture inſtructum, ac in fruſta fractum. Fertum enim rite erat adparandum, antequam illud ad Sacerdotem adferretur.

III. Exponuntur dicta, Lev. II. 8. V. 3. §. III. Commemoratur, Lev. II. 12. munus primitiarum, a fermentato capiendum. Crucem haec eis figunt, qui meminerunt, fermentum ab altari fuiſſe disjungendum nec ad illud offerendum. Verum res ipſa ſatis loquitur, panes duos pentecoſtales, qui fermento imbuebantur, eſſe intelligendos. Porro fit mentio, Lev. V. 13. alterius muneris primitiarum. Nec dubitandum eſt, manipulum Paſchalem, qui de hordeo in Paſchate offerebatur, eſſe intelligendum. Haec jam tum monuit R. Salomo Iſaacides.

IV. Lev. XIV. 10. 21. §. IV. *Munus ſimilae*, cujus fit mentio, Lev. XIV. 10. 21. Num. VII. 13. aliiſque in locis, fuit illud, quod ex ſimila duntaxat fuit compoſitum, quae nec cocta erat, nec frixa. Aliud enim munus ſimilae fuit *haud praeparatum* in vaſe, aliud vero in eo fuit *praeparatum*.

Prae-

Digitized by

Praeparationis illius momenta erant tria, ſecundum tres *olei effuſiones*, מתנות השמן, quae requirebantur. I. Oleum vaſi ſacro, quod miniſterio erat ſacratum, inditur, ac porro ſimilæ oleo additur. II. Oleum ſuperfunditur & miſcetur ſimila. Haec actio vocari ſolebat בלידה, quam excipiebat לישה, *ſubactio*, hanc vero coctio, ac tandem comminutio in fruſta, dicta פתיתה (*l*). III. Oleum tertio affundebatur. Haec eſt יציקה. Denique pugillum eximi ac adoleri decebat, reliquum comedebatur a ſacerdotibus (*m*).

§. V. De *quotidiano ferto*, ſeu *munere*, injicitur mentio, Num. IV. 16. quo ipſo indicatur munus ſartaginis, a Sacerdote Summo in dies offerri ſolitum. Egimus de eo ſatis copioſe, cap. I. §. 6. Summus enim Sacerdos partem *ferti cruſtulorum* מנחת חבותיך mane, partem veſperi, nullo die praetermiſſo, offerebat. Hoc fertum ex integro hauriebatur igni. Ferta enim initiationis ſacerdotalis ac Pontificis Maximi cruſtula erant, ſimilia eis fertis, quae *libamina* נסכים adpellantur, ſacrificiis ſcilicet juncta. Utraque vocantur ferta ſacerdotum maſculorum, Lev. VI. 23. V. Exponitur Num. IV. 16.

§. VI. Praecepit Moſes, Num. VIII. 8. ut cum juvenco conjungeretur *munus*. R. Salomo Iſaacides juvencum intelligi jubet, pro avertenda idololatria a coetu Judaeorum oblatum. In Concordantiis Agricolae, ſub titu- VI. Exponitur Num. VIII. 8.

(*l*) Lev. II. 6. *Menachoth*, VI. 4.
(*m*) HADRIANUS RELANDUS, in *Antiquitatibus ſacris veterum Ebraeorum*, Part. III. c. 7. §. 8.

lo Speisopfer / legitur, einen farren zum Speisopfer. Dicere debebat: zu dem Speisopfer / nebſt dem Speisopfer / ne quis putet, juvencum fuiſſe illud munus.

VII. Exponitur Num. XXVIII. 7.

§. VII. Idem praecepit, Num. XXVIII. 7. ut *in ſanctuario* בקדש vinum ſit libandum, ſeu effundendum. Noli exiſtimare, illud in ſacrario primo, quod adpellabant *Sanctum*, vel in ſecundo, quod vocabant *Sanctum Sanctorum*, fuiſſe libatum ac effuſum. Libari enim id ſolebat in atrio ſacerdotum, in pavimento altaris. R. Salomo Iſaacides haec curate oſtendit, in Commentario ad hunc locum. Vox itaque בקדש interpretanda eſt: *juxta ſanctuarium*, *prope ſanctuarium*, ſi vox קדש de atrio ſacerdotali capi nequit.

VIII. Exponitur Num. XXVIII. 26.

§. VIII. Legitur praeceptum Dei, Num. XXVIII. 26. de *munere novo* offerendo. Quaerimus merito, quodnam illud fuerit munus, praecipue nomine hoc dignum, ſiquidem ferta ſingula debebant eſſe recentia. Commode autem ſuccurrit munus ſeu fertum pentecoſtale, quod complectebatur panes duos pentecoſtales, de novo tritico oblatos. Novum vocatur id munus, eo quod panes illi duo שתי הלחם ex *novo* proventu tritici, qui illo anno ſuccreverat, offerebantur, fermentati. Quibus oblatis, ferta demum ex proventu illius anni in templum adducere licebat (*n*). Panes ipſi exſtiterunt longi ſeptem palmos, lati quatuor, ac cornua habuerunt digitorum quatuor, cujus rei monumentum eſt ד' ד' ז', id eſt, 7. 4. 4. (*o*). Unam

(*n*) *Menachot.* X. 6.
(*o*) *Menachot.* XI. 4.

nam farinae decimam, ad perficiendum panem unum, fuiſſe adhibitam, conſtat ex Levit. XXIII. 17. Panes die ſecundo vel tertio, poſtquam fuiſſent cocti igne, comedi ſolebant (*p*). Panis eo die, quo in cibum cedere coepit, ita debuit comedi, ne quid ex eo in craſtinum fieret reliqui, ſi Joſephus eſt teſtis (*q*) fide dignus. Quare ex terra ſancta hoc munus debuerit offerri, (*r*) ejus rei ratio haud equidem ex longinquo eſt repetenda; at quare id fermento fuerit imbutum, haud aeque eſt in expedito. Si id eſt verum, quod Judaei vulgo tradunt (*s*), feſtum diem Pentecoſtes in memoriam ſancitae legis fuiſſe inſtitutum; tum quidem videtur vero ſimile, fermentum eſſe ſymbolum innatae Judaeis duritiei ac pravitatis, per quam ſaepe numero cancellos, a lege ſibi circumdatos, tranſſilierunt.

IX. Exponitur Num. XXIX. 6.

§. IX. Mentio fit Num. XXIX. 6. muneris, cum novilunii holocauſto conjungendi. Fertum vero illud heic venit in cenſum, quod, cum ſacrificio ſuperaddito, novi anni die, ſolebat conjungi. R. Salomo Iſaacides ita ſentit. Annus enim novus iſque civilis inchoabatur primo menſis Tiſri die, quo ipſo nova exſiſtebat luna feſtuſque novilunii dies celebrandus erat. Additamenta ſacrificiorum, quae in noviluniis offerebantur, duos juvencos, arietem unum, & ſeptem agnos, holocauſtis dicatos, ac hircum, in ſacrificium piaculare mactandum,

(*p*) *Menachot.* XI. 9. *Erachin*, II. 2.
(*q*) *Ant. Jud.* III. 10.
(*r*) *Gem. Hier. Schekalim*, VI. 2.
(*s*) RASCHI, ad Hoſ. III. 3.

dum, complectebantur (*t*). Additamentum vero novi anni erat majus. Accedebant enim sacrificiis jugibus & addititiis novilunii juvencus, aries, & septem agni in holocaustum; ac hircus in sacrificium piaculare (*u*).

X. Exponitur I. Sam. II. 29.

§. X. Gravis fuit ea reprehensio, qua Deus summum Pontificem Eli notavit. In ea haec leguntur, I. Sam. II. 29. לָמָּה תִבְעֲטוּ בְזִבְחִי וּבְמִנְחָתִי אֲשֶׁר צִוִּיתִי מָעוֹן וַתְּכַבֵּד אֶת בָּנֶיךָ מִמֶּנִּי לְהַבְרִיאֲכֶם מֵרֵאשִׁית כָּל מִנְחַת יִשְׂרָאֵל לְעַמִּי? *Quare recalcitratis adversus sacrificium, mihi destinatum, ac fertum, mihi offerendum, ex quo constitui certam inter vos sedem? Quare porro liberos tuos majori amore, quam me, prosequeris?* Si haec tibi objurgatio videtur veritati disconveniens, facile convinci potes ex factis filiorum, *Quibus quippe eam indulges licentiam, ut sese saginent, & vos, ex primitiis cujusque ferti Israëlis, quem in populum meum adsumsi.* Munus primitiarum indicatur, donum, quod Israëlitae dabant sacerdotibus e fructibus terrae Israëliticae, jam ad usum humanum praeparatis (*x*). Munera ejusmodi vulgo vocabantur תְּרוּמוֹת, *ἀφαιρέματα, separata in usum donorum.*

XI. Exponitur I. Reg. XVIII. 36.

§. XI. Legimus relatum, I. Reg. XVIII. 36. *tempus ferti* exstitisse, quum sacrificaret Elias. Designatur eo tempus muneris vespertini ejusque quotidiani, quod cum sacrificio juge eoque vespertino fas erat conjungi. (*y*). Sa-

(*t*) Num. XXVIII. 11.
(*u*) Num. XXIX. 2.
(*x*) HADRIANUS RELANDUS, Part. III. c. 8. l. c.
(*y*) KIMCHI, ad h. l.

Digitized by Google

Sacrificium hoc juge hora dimidia nona mactari, ac hora dimidia decima offerri ſolebat, licet in veſpera paſchali una hora celerius mactaretur ac offerretur (z). Eodem pacto lux adfunditur dicto, II. Reg. VI. 15. ubi incenſi muneris veſpertini mentio injicitur.

§. XII. Optat hieropſaltes & adprecatur, Pſ. XX. 4. haec neſcio cui : *Recordetur* Deus *omnium fertorum tuorum*, יִזְכֹּר כָּל־מִנְחֹתֶיךָ. Punctum recordationis illius Judaei ita determinarunt, ut ea locum invenerit ex promiſſo Dei, quum pugillus in ignem projiceretur. Mihi ad exponenda ea verba tam arcti anguſtique cancelli haud videntur ingrediendi. Sufficit, ſi Deus ei, qui ſincero animo obtulerat ferta, gratiam ſuam fecerit teſtatam, & intrinſecus & extrinſecus. Deus enim perhibetur ejus recordari, cui benefacit. XII. Exponitur Pſ. XX. 4.

§. XIII. Jeremiae, c. XXXIII. 19. exprimitur promiſſio divina, ſpondens, fore, ut ne deficiat ſacerdos, qui *fertum* adoleat. Fertum ipſum ex integro ſemper fuiſſe combuſtum, dici ſane haud debet. Ferta enim quatuor, a Deo juſſa, Lev. V. 1—4. Num. V. 15. 26. Lev. VI. 20. I. Chron. IX. 31. ac novem alia, ex voto offerenda, Lev. II. eodem ritu offerebantur, ita, ut pugillus, quum inde eſſet exemtus, in altari combureretur, reliquiae vero a ſacerdotibus comederentur. Sola, a maſculis ſacerdotibus oblata, ferta igni hauriebantur ex toto. Lev. VI. 23. *Combuſtio* itaque *ferti*, hac cautione praemiſſa, exponenda eſt ſecundum rei naturam. XIII. Exponitur Jer. XXXIII. 19.

§.

(z) *Pſalthim*, V. 1.

XIV. Exponitur Ezech. XLVI. 14.

§. XIV. Mentio fit, Ezech. XLVI. 14. olei, quod debuerit deſtillari ſuper *ſimilam muneris*, לָרוֹס אֶת הַסּוֹלֶת Monent R. Salomo Iſaacides, *ad hunc locum*, & Kimchius, *in libro Radicum*, *ad vocem* רסס, vocem ebraicam ſignificare non ſolum actum *ſtillandi*, ſed & *macerandi* ac *frangendi*; E contrario mihi ſola *conſperſionis* ac *adſperſionis notio* videtur voci fuiſſe impoſita. Arabibus رشّ idem eſt ac adſperſit. Inde ſupereſt penes Latinos *ros*, humor ſcilicet, quo noctu gramina & humus conſperguntur. Syris aeque ܪܫ idem notat ac *adſperſit*, *conſperſit*, uti pateſcit ex tranſlatione N. T. Syriaca, Ebr. IX. 19. 21. 13. X. 22. ܪܫܝܬܐ eſt *adſperſio*, Ebr. XI. 28. XII. 24. I. Pet. I. 2. Graeci diductius notionem eamdem per ῥαντίζειν & ῥαντισμὸν expoſuerunt. Ea vero, quae ad effuſionem, ſeu ſparſionem olei in ferta, juvat ſcire, ſupra expoſui, §. 4.

XV. Exponitur Exod. XXX. 9.

§. XV. Decernitur, Exod. XXX. 9. ne Judaei vinum ſuper altare ſuffitus libare audeant. *Libari* enim dicebatur *vinum*, quum effunderetur totum in altaris exterioris baſin, ſeu pavimentum (c. I. §. 3.) Libationes Graecis vocabantur σπονδαὶ, ac fiebant inter Graecos Romanoſque vino puro ac mero, adjunctis, pro ſalute communi vel nonnullius ſalute, precibus. Infundebatur vinum poculo, ex pretioſa materia elaborato. Ex ejus ſummis labris aliquid ipſi, qui offerebant, in honorem Deorum effundebant, reliquum vero ebibebant ipſi (*a*). Un-

(*a*) *Everard.* FEITHI *Antiqq. Homerica*, L. I. c. 8.

Digitized by Google

Unde facile eſt intellectu, quaenam Paulo fuerit ſententia, ſeſe jam *libari*, rato. Phil. II. 17. II. Tim. IV. 6.

§. XVI. Obſervetur *formula loquendi*, Lev. XXIII. 37. perſcripta, quae habet: *ad offerendum ſacrificium & libamina.* Ubi per offerenda libamina nil intelligi poteſt aliud, ac eorum in baſin altaris effuſio. Quae effuſio etiam aliquot diebus poſt oblatum ſacrificium, quocum libamina non conjungebantur, fieri poterat. (cap. I. §. 13.) XVI. Exponitur Lev. XXIII. 37.

§. XVII. Num. XXVIII. 15. praecipitur, ut inter alia noviluniorum ſacrificia hircus caprarum pro peccatis immolari debuerit, praeter holocauſtum juge & *libamen ejus*, ubi non indicatur libamen ſacrificii pro peccato, quippe quod libamine carebat, ſed intelligitur libamen, holocauſto quotidie offerendo adjectum, quod copioſe expoſuimus (c. I. §. 14.) Confer R. Salomonem Iſaacidem, in Commentario ad Num. XXVIII. 15. XVII. Exponitur Num. XXVIII. 15.

§. XVIII. Munera ſeu ferta, δῶρα καὶ ἀναθήματα, penes antiquiſſimas gentes ex hordeo conſtabant, quod ſaxo aut mola confractum Graeci vocabant ἀλὴν & ἀλοχύτην, *molam*. Romani adhibebant potius *far*, τὰς ζέας. Adjiciebant hiſce donis ſalem, ſine quo nulla res ſacra conficiebatur, teſte Plinio, Hiſt. Nat. L. XXXI. c. 7. A Judaeis dabantur munera in primis ex tritico, maximi videlicet in Palaeſtina aeſtimato. Quam ob rem, Deut. VIII. 8. Palaeſtinae fertilitas ac praeſtantia commendatur a tritico, deinde ab oleis, olea copioſa praebentibus, & tandem a melle. XVIII. Exponitur locus Deut. VIII. 8.

§.

Digitized by Google

XIX. Exponitur Deut. XXXII. 14.

§. XIX. Legitur, Deut. XXXII. 14. ſeu, ſecundum alia exemplaria, inciſo 15. Deum Iſraëlitis varia exhibuiſſe beneficia eiſque dediſſe arietes optimos, quales in regione Baſan ſolent gigni, אֵילִים בְּנֵי־בָשָׁן ac porro חֵלֶב כִּלְיוֹת חִטָּה *adipem renum tritici.* Intelligunt optimi Judaeorum interpretes per poſterius illud Dei munus *triticum optimum & pingue*, *ad inſtar adipis renum.* Lutherus haec ſingula ſic reddidit: **feiſte widder und böcke mit fetten Nieren und Weitzen.** Conſueverat videlicet Lutherus negligere accentus. Perſpicua omnino exſiſtit expoſitio, ſi adipem renum ad *hircos* שְׂעִירִים referamus, in primis quum & alibi, e. g. Prov. VI. 26. Job. VI. 21. accentus videantur negligendi eſſe. Verum, ex ingenioſa *Georgii* VENZKII de accentibus doctrina, illi inciſo, quod dedimus, adjungemus interpunctionem convenientem, ac deinde ad eruendum ſenſum genuinum accedemus. Sub voce אֵילִים occurrit ithibh, loco paſchta, ut extendat ac diducat pronuntiationem. Inter illam ſuſpenſionem pronuntiationis occurrit animo modus ac qualitas arietum. Additur itaque ipſa arietum praeſtantia, deſignata per denominationem ſingularem. Arietes enim vocantur בְּנֵי־בָשָׁן *filii Baſan*, *incolae enutriti in regione Baſan.* In fine vocis Baſan poſitus eſt accentus *paſchta*, qui denuo ſuſpendit ac extendit pronuntiationem, deſignans, ſupereſſe majora, ad quae animus quaſi procul ſtupeat & perculſus ad interrogationem, quidnam ſuperſit, praeparetur. Sequuntur itaque שְׂעִירִים, hirci. Voci ſuperſcriptus eſt accentus *ſakeph-katon*, qui moram pun-

puncti geminam designat. Digni consideratione memorantur hirci. Additur porro: עִם חֵלֶב. Voci *chelev* suppositus est accentus *Tiphcha*, cui inest vis semicoli minimi. Ad expendendum ea, quae sequuntur, excitatur lector. Sequitur sub voce sequenti כִּלְיוֹת *Munach* accentus, qui vocem, cui praesto est, cum sequenti conjungit. Complexus itaque accentuum praecipit, ut *adipem renum tritici* ad *arietes* & *hircos* referamus, adeoque *renes tritici* sint praestantissimi, qui colore, puritate, ac salubritate triticeam farinam exprimant ac exaequent. Proprie enim vocula illa, ex qua חִטָּה descendit, nempe חנם, significatu gaudet protrudendi atque producendi: ac frumentum praestantissimum ab Ebraeis, Chaldaeis, & Syris dicitur חִטָּה, eo quod ex aristis seu folliculis protrudatur (*b*) & promineat. Renes ei proinde cum tritico comparantur, quorum adeps ac pinguedo prominet atque protrusa emicat.

§. XX. Eximium illud Dei beneficium merito praedicat ac concelebrat hieropsaltes, quo ipse Judaeos optimo tritico enutrivit, Ps. LXXXI. 17. CXLVII. 14. Triticum illud praestantissimum vocatur חֵלֶב חִטִּים, חֵלֶב חִטָּה. Id enim, quod ex sanguine emulgetur ac secernitur, selectissimum & defecatissimum, vocatur ab Ebraeis ac vicinis populis חֵלֶב. חָלַב idem est ac emulsit lac, extraxit lac ex mammis. Syri, Chaldaei, & Arabes *lac* vocant حَلَبٌ, חֵלֶב, חֲלָבָא. Triticum a Ju-

XX. De tritico Palaestinae.

(*b*) *Carolus* SCHAAF, in *Lexico Syriaco concordantiali*, p. 190. sq.

Judaeis, miſtum cum nucibus ac malogranatis, edi ſolebat in fine convivii (*c*). Ditiores pane triticeo (*d*) veſcebantur.

XXI. Expon. tur Ezech. XXVII. 17.

§. XXI. In Ezechiele, c. XXVII. 17. mentio fit tritici, ex regione *Minnith* advecti. R. Salomo Iſaacides addit, optimum in ea ſuccreviſſe triticum. Situm illius regionis STRABO (*e*) quodammodo determinavit, de ora, quae ad auſtrum ſinus Elanitici & ad latus orientale maris Arabici exſiſtit, ita diſſerens: Πλησίον αὐτῆς ἀκρωτήριον, ὃ διατείνει πρὸς τὴν Πέτραν τὴν τῶν Ναβαταίων καλουμένων Ἀράβων καὶ τὴν Παλαιστίνην Χώραν, εἰς ἣν Μιναῖοί τε καὶ Γερραῖοι, καὶ πάντες οἱ Πλησιόχωροι τὰ τῶν ἀρωμάτων φορτία κομίτουσιν. *Prope eſt promontorium, quod uſque ad Arabum Petram pertendit, & usque in Palaeſtinam regionem, in quam & Minaei & Gerraei ac omnes vicini onera aromatum advehunt:* Si vero ſeveriorem adhibeamus artem criticam, nihil hinc de Menaeis pateſcit, praeterquam quod in Palaeſtinam advexerint aromata. *Mennith* enim oppidum exſtitit in confinio tribus Gad ad Philadelphiam, ab orientali Jordanis latere. Intelligitur ille ſitus ex victoria Jephthae, qui Ammonitas victos fugatoſque eo uſque profligavit, reverſuros ad tecta ſua. *Judic.* XI. 33. HIERONYMUS, cum Euſebio, haec habet: *Nunc oſtenditur Mannith villa in quarto lapide Esbus pergentibus Philadelphiam.* Philadelphia olim Rabbath Ammon fuit. Situm

(*c*) *Lexicon Aruch*, fol. 85. 2.
(*d*) Ibidem, fol. 87. 1.
(*e*) L. XVI. p. 776.

Digitized by

tum deſcripſit POLYBIUS, L. V. c. 71. Exſtitit ipſa Ammonitarum caput, teſte JOSEPHO, *Antiq. Jud.* L. IV. c. 5. Complura tradidit *Chriſtophorus* CELLARIUS, in *Geographiae antiquae* L. III. c. 14. p. 672. ſq. Philadelphia & Rabbath Ammonitarum haud differunt.

§. XXII. Legitur apud Joëlem, c. I. 11. vinitores ejulare ob triticum. Sed accuratius dicitur, agricolas ob triticum lamentari & vinitores ob vitem exareſcentem, uti pateſcit penitius orationis complexum conſulentibus. Mercatores perhibentur deflere exitium Babylonis, eo quod in illam convexerant vendiderantque ibi ſimilam & triticum, Apoc. XVIII. 13. XXII. Exponitur Joël, I. 11.

§. XXIII. Fideles comparantur cum tritico, Matth. III. 12. indubie ob eam, quae tritico adtribuebatur, praeſtantiam, ceteris frugibus excellentem. XXIII. Exponitur Matth. III. 12.

§. XXIV. Oeconomus injuſtus, Luc. XVI. 7. delineatur ac dicitur de debitis domini ſui debiti partem ex oleo ac tritico intervertiſſe, eo quod triticum & oleum magis apud Ebraeos aeſtimabantur, quam liquores alii frugesve aliae. XXIV. Exponitur Luc. XVI. 7.

§. XXV. Quum, Luc. XXII. 31. dicitur diabolus voluiſſe fidem Petri cernere ac cribrare, inſtar *tritici*, obſervatu dignum eſt, triticum cribris duodecim cribrari conſueviſſe (*f*). Alibi vocem σῖτον, heic obviam, de frumento, & quidem hordei, exponere me, memini (*g*). XXV. Exponitur Luc. XXII. 31.

(*f*) MAIMONIDES, in libro de *Juge Sacrificio*, c. VIII.

(*g*) In Bibl. Brem. Cl. VIII. faſc. 3. diſſ. 3. p. 438.

Digitized by Google

XXVI. Exponitur Exod. XXIX. 2.

§. XXVI. Mentio fit, Exod. XXIX. 2. muneris initiatorii Sacerdotum & quidem panis azymi, cum aqua cocti & cum oleo frixi. Deinde fit mentio placentarum azymarum crassarum, cum oleo mistarum, ut eis, quum adhuc essent farina, infunderetur oleum, quocum ipsae permiscebantur. Lagana crassiora vocantur חלות, tenuiora autem רקיקי. Lagana haec tenuiora, simulac essent cocta, oleo per modum formae *Chi* inungi solebant (*b*). Ex inunctione, qua Pontifex Summus fuit adfectus, hanc formam decussatam esse repetendam, arbitror. Inunctionem quidem hanc per formam χιάζουσαν fuisse expromtam effectuique datam, negant LEYDEKKERUS, de *Republica Hebraeorum*, X. 1. p. 576. *Campegius* VITRINGA, L. II. *Obs. Sacr.* c. 15. p. 460. ac summe ven. D. *Salomo* DEYLINGIUS, *Observat. Sacr.* Part. II. p. 457. Nec tamen desunt eximii viri, qui ajentem propugnant sententiam. Liceat provocare ad summa nomina BRAUNII, *in Sel. S.* p. 482. SELDENI, L. II. de *Successione in Pontif. Hebr.* c. IX. VOISINII, *in Notis ad Raimundi Pugionem fidei*, P. II. c. 3. p. 309. *Simeonis* MUISII, *in Variis Sacris*, ad Exod. XIII. SCHICKARDI, de *Jure Regio Hebr.* c. I. theor. 4. *Hadriani* RELANDI, P. II. *Antiquit. Hebr.* c. 5. SAUBERTI, de *Sacerdotio Hebraeorum*, P. II. c. 5. & JURIEI, in libro, quem inscripsit *Histoire Critique des dogmes & des cultes*, P. II. c. 7. p. 285.

§.

(*b*) RASCHI, ad Exod. XXIX. 2.

§. XXVII. Commemoratur, Lev. II. 5. olei infusio ac fractio muneris in frusta. Verum brevioribus heic ea in re esse liceat nobis, ritum illum qui jam supra (c. I. §. 16.) percensuimus. Mentio injicitur, Lev. VII. 21. similae frixae. Monent Judaei, ac praecipue ad hunc locum R. Salomo Isaacides, similam aquis calidis, antequam frigeretur, coqui fuisse moris. XXVII. Exponitur Lev. II. 5. VII. 21.

§. XXVIII. Commemoratur, Deut. XXXII. 13. *oleum, ex silice petrae* eductum, שמן מחלמיש צור. Judaei intelligunt, oleum ex oleis olivisque paratum, crescentibus in loco, qui vocabatur Guschchalaph, cujus fit mentio in libro Mischnico, de *Aestimation.* c. IX. 6. R. SALOMO ISAACIDES, *in Commentario* ad hunc locum, eadem repetiit. En verba ejus: אלי זתים של גוש חלב *Hae sunt oleae loci Guschchalaf.* XXVIII. Exponitur Deut. XXXII. 13.

Locus ipse in Galilaea fuit situs, haud procul a lacu Samechonitide, probabiliter a Giscalis non diversus (*i*). Expositionem ad ipsam quod adtinet, ea nullam veri speciem praebet. Moses, beneficiorum divinorum praeco, Judaeis beneficentiam Dei in memoriam revocat, quippe qui arbores, oleas inprimis, ex solo saxoso procrescentes, genti suae exhibuerit, e quibus ipsi olea conficere valerent.

§. XXIX. Oleum, quod Ebraei vocant בתית Exod. XXVII. 20. si Judaeis fidem habeamus, in mortario paratum fuit, olivis ini- XXIX. De oleo בתית.

(*i*) *Hadrianus* RELANDUS, in *Palaestina*, L. III. p. 817.

bi contuſis; quam ob rem illud fuiſſe purum pauciſque adfectum fecibus, docent. Diſtinguunt illud eidem ab oleo, quod in mola molebatur ac fecibus ſcatebat (*k*). Modum illud molendi perſcripſit MAIMONIDES, commentatus in *librum Miſchnicum*, *de Diebus feſtis minoribus*, II. 1. Mirabile videtur dictu, oleum contundi. Eſt igitur, qui vocem כָּתִית interpretatur *ἄτρυγον*, *ἀτρύγητον*, *defecatum*. Quam vellem, is rationem in medium adtuliſſet luculentam, qui ita ſenſit, ac Ebraica ex Graecis arceſſere tentavit. Si quid ex adfinitate ſoni, inter Ebraeos recepta, conligendum eſt, ac, vocem כתת *contuſionis* ſignificatum continere, nemo infitiatur; tum ſane ratio nondum dilucet, quae ad novam ſignificationem exquirendam nos ſolicitare valeat. Evolvi loca, in quibus verbum כתת occurrit, ac inde fui ratiocinatus, *oleum*, *interventu contuſionis expreſſum*, deſignari per שֶׁמֶן כָּתִית. Quod ipſum ſi ſuffragiis noſtris adprobaverimus, nil ſupererit, quod inſolitum, inſulſum, aut inconcinnum, poſſit videri.

(*k*) RASCHI, ad I Reg. V. 11. Exod. XXIV. 1.

CA-

Digitized by Google

CAPUT IV.

Exhibens Auctorum loca, quae ſunt emendanda.

§. I. Commentatores ſacri, quibus Vinarienſium eſt nomen, ad Lev. II. 2. exiſtimant, ſacerdotem, quicunque tandem ille fuerit, de munere ſeu ferto pugillum rite decerpſiſſe, cauſſam interſerentes, quod ea aetate nondum ordines, ſeu claſſes, ſacerdotum exſtiterint. A Davide claſſes eorum peculiares fuiſſe inſtitutas, nemo abnuit. Sed, nullas antea exſtitiſſe, inde nondum effici cogique poteſt. Quatuor jam floruiſſe ſacerdotum ordines Moſis aetate, tradit MAIMONIDES, in *libro de Vaſis ſanctuarii*, c. IV. §. 3. Ratio certe obeundi ac exſequendi miniſterium ſacrum ordine nonnullo indiguit, quem, neceſſitate magiſtra, primum fuiſſe qualemcunque, deinceps autem concinniorem, quo minus credamus, nihil eſt impedimento. I. Emendatur expoſitio Vinarienſium, ad Lev. II. 2.

§. II. Eidem, ad Lev. II. 6. ſcripſere, Sacerdotis fuiſſe, fertum in partes dividere ac illi infundere oleum. SALOMO GLASSIUS expoſitionis illius exſtitit auctor, Flacium ſecutus. Verum jam ſupra monuimus, diſpertitionem illam ac infuſionem non a ſacerdotibus ſolum, ſed ab homine etiam privato quocunque, haud maculato, legitime peragi potuiſſe. II. Ad Lev. II. 6.

§. III. Iidem, ad Lev. II. 9. animadvertunt, ſacerdotem levaſſe fertum ad conſuetam altitudinem. Sed in iſthoc inciſo de adlevatione illa prorſus nihil memoriae fuit proditum. III. Ad Lev. II. 9.

Digitized by Google

Difficultas omnis in voce אזכרה reſidet, per quam magiſtri Judaeorum *ablationem*, pugillo fieri ſolitam, ſeu *pugillationem* intelligunt. Non ſoleo Ebraicas voces ex Graecis deducere. Sin vero voces antiquiſſimae, per conſortionem ritus propagatam, fuerunt retentae ac communiter adhibitae, quod quidem oſtendendum, haud fingendum eſſe, largior; tunc omnino ſignificatus Graecus videtur quantivis pretii. Venit in mentem vox ἐσχάρα vetuſtiſſima, quae, ab Homero jam olim adhibita, *focum* notat. Hanc nonnemo vocem ſubſtituerat Ebraicae אזכרה. Verum repugnat contextus orationis huic ſignificatui penes Moſen, necdum demonſtrari poteſt, vocem illam Graecam ad tantum antiquitatis ſpatium retrocedere. Vox illa Ebraica אזכרה eſt potius ex זכר derivanda, id eſt, *revocando in memoriam*. Quam ob rem illa commode exponitur per eam mentis actionem, qua aliquid in memoriam perpetuam (*) revocamus.

IV. Ad Lev. II. 12. §. IV. Eidem, ad Lev, II, 12. commentati ſunt, exiſtimantes, cibos ibi deſignari, fermento ac melle commiſtos, quos, peracta ſacrificii oblatione, ederint ſacerdotes. At vero per primitias fermentatas illic intelligendi ſunt panes pentecoſtales, de tritico fermentato oblati. Primitiae autem mellis, citra ullam cum aliis cibis commixtionem, ſeorſim offerri ſolebant. R. SALOMO ISAACIDES heic eſt inſtar omnium, quem haud pigebit conſuluiſſe.

§.

(*) JOH. SIMONIS, *Arcani formarum nominum Hebraeae Linguae* P. II. p. 548.

§. V. Eidem Commentatores in ea verſantur opinione, ad Num. VI. 15. munera περὶ ἁμαρτίας, *expiandis peccatis deſtinata*, ture ac oleo ornari potuiſſe. MAIMONIDES, qui in verſandis Judaeorum ritibus vetuſtiſſimis mirificam impendit ac collocavit diligentiam, id ipſum prorſus infitiatur (*a*). Fertis aliis adjungebatur oleum, nequaquam tus: aliis tus, non oleum: aliis nec tus, nec oleum. Codex Miſchnicus, qui de fertis ex profeſſo fuit conſcriptus, diſcrimen iſtud ita illuſtrat ac determinat (*b*): יש מעינות שמן ולבונה/ שמן ולא לבונה/ לבונה ולא שמן/ לא שמן ולא לבונה/ ואלו מעונית שמן ולבונה מנחת הסלת והמחבת והמרחשת והחלות והרקיקין מנחת כהנים ומנחת כהן טשיח ומנחת גויים ומנחת נשים ומנחת העומר. מנחת נכסים מעינה שמן ואין מעונה לבונה. לחם הפני מעון לבונה ואין מעון שמן שתי הלחם/ ומנחת חוטא/ ומנחת קנאות לא שמן ולא לבונה. Vertimus haec ita in ſermonem Latinum: *Ferta dantur, quae requirunt oleum & tus: oleum, nec tamen tus: tus, non oleum: nec tus, nec oleum. Ac haec ferta requirunt oleum ac tus, nempe fertum ſimilae: fertum, in patina fricto*, aut in vaſe plano, cui deeſt margo, ut durum ſit & conſiſtat, adparatum: *fertum, in aheno confectum*, vaſe nempe profundo, in quo quod coquitur, tenue eſt & fluidum (*c*): *fertum*

V. Ad Num. VI. 15.

(*a*) In *libro, de Oblationibus*, c. XII. §. 7.
(*b*) *Menachot*, V. 3.
(*c*) *Menachot*, V. 8.

tum de placentis craſſis: fertum de placentis tenuibus, quorum utrumque ad fertum, in clibano coctum, pertinebat: *Fertum ſacerdotum: ac fertum ſacerdotis uncti: fertum gentium, a Judaica religione alienarum: fertum mulierum: & fertum manipuli paſchalis. Fertum, libationibus peragi ſolitum, requirebat oleum, non requirebat tus. Panes propoſitionis requirebant tus, non oleum. Panes duo pentecoſtales, fertum peccatoris, & zelotypiae mariti erga mulierem, adulterii ſuſpectam, requirebant nec oleum, nec tus.* Fertum peccatoris ab eo offerebatur, qui ſcilicet unius ex quatuor peccatis, recenſitis Levit. V. 1. 2. 3. 4. reus erat ac pauperior, quam ut hoſtiam poſſet pretio comparare.

VI. Ad Num. XXVIII. 5.

§. VI. Eidem, ad Num. XXVIII. 5. perhibuerunt in Commentario, quod ad quodlibet holocauſtum etiam *munus* debuerit adjungi. Verum & illud in numero holocauſtorum eſt referendum, quod ab avibus ſumi ſolebat. Huic adjungere munus, ſeu fertum, erat & ſupervacuum, & inſolitum, & divinae legi admodum repugnans.

VII. Emendatur alius, ad Lev. II. 1. 2. 3.

§. VII. Eſt, qui in antiquitatibus Eccleſiasticis palmam nonnullis praeripuit, in Judaicis vero ſubinde offendit. Is, de *Sacrificio Hebraeorum*, p. 236. col. 1. contendit, ſacerdotem, ſumto pugillo, partem reſiduam ſibi ac collegis in cibum reſervaſſe; Lev. II. 1. 2. 3. Verum pars muneris ſimilae reſidua, poſteaquam ablatus inde erat pugillus, non dividebatur inter ſacerdotes, ſed uni duntaxat ſacerdoti cedebat, ſicet particulae, ex aliis fertis reſiduae, dividerentur.

§.

§. VIII. Idem ſcripſit ibidem, ſpeciem ferti, quae ex farina elaborata conſtiterit, voluntarie fuiſſe oblatam. Quod quidem de una & altera omnino eſt adfirmandum, de univerſa autem adfirmare haud licet. Nam fertum ſimilae, quod ex farina conſtitit non elaborata, voluntarie fuiſſe oblatum, inter omnes conſtat. Vide ſupra, cap. I. §. 4. Praeterea Ebraei memoriae haud prodiderunt, partem ſacrificii adolendam, ſive pugillum muneris adolendum, fuiſſe in altum levatum, ſeu adductum. Adducebat ille fertum, ſeu pugillum, qui id utraque manu communiter comprehenſum, vel potius vaſi ſacro impoſitum, ac ita teneri ſolitum, ante ſeſe in altum tollebat, declaraturus eo ritu, ſeſe Regi ſummo & Numini altiſſimo fertum ſuum conſecrare, ac ei pro vita clementer ſuſtentata ac continuata agere gratias. Agitationem jam ſupra delineavimus ex R. Salomone Iſaacide. Lutherus *adductionem* vertit per heben; *agitationem* per weben. Ebraei accurate deſignarunt, quaenam ferta fuerint vel adducenda, vel agitanda (*d*). Dabimus ea Latine, quae R. Jehuda Sanctus ebraicis expreſſit litteris: VIII. Porro ad Lev. II. 3.

Ferta libaminum	*debuerunt*	*nec agitari, nec adduci.*
Manipulus Paſchalis	*debuit*	*& agitari & adduci.*
Panes Penteceſtales	*debuerunt*	*agitari, non adduci.*
Panes propoſitionis	*debuerunt*	*nec agitari, nec adduci.*
Fertum peccatoris	*debuit*	*adduci, non agitari.*
Fertum Zaleſypiae	*debuit*	*adduci & agitari.*
Fertum initiationis	*debuit*	*adduci, non agitari.*
Fertum cruſtulorum Pontificis M.	*debuit*	*adduci, non agitari.*
Quinque ferta voluntaria	*debuerunt*	*adduci, non agitari.*
Leg. olei leproſi & pro delicto ejus	*debuit*	*agitari, non adduci.*

(*d*) *Menachot*, V. 3.

IX. Porro ad vocem זכרון.

§. IX. Idem, §. 237. col. 1. in eo eſt, ut tranſlationem, a Luthero adornatam, refellat, in qua habetur, pugillum fuiſſe oblatum, zum Gedächtnis *in memoriam*. Ipſe exiſtimat, converti, vocem Ebraicam commodius per hanc formulam: *in celebrationem nominis divini*. Verum cum Luthero faciunt ac pro eo ſtant Judaei, linguae rituumque ſuorum peritiſſimi. Quorum judicio ſiquid damus, pugillus vocatus fuit *commemoratio*, das Gedächtnis, eo quod Deus per gratiam peculiarem recordabatur hominis, qui munus dederat, ſimulatque pugillus muneris in ignem conjiceretur. Conferatur Commentarius R. Salomonis Iſaacidae, ad Lev. II. 2.

X. De munere ſpicarum.

§. X. Nonnemo, in Commentatione ad Lev. II. 1. autumat, *munus ſpicarum* propterea inter ſpecies fertorum recenſeri, quod cautum fuerit lege, ut ne pauperioribus, quod offerrent, deeſſet. At vero id in confeſſo eſt penes omnes, qui Judaicas antiquitates e fontibus hauſtas ac perceptas habent, quod fertum pauperrimi cujusque e ſimila conſtiterit. Accedit quod fertum, e ſpicis compoſitum, non hominis privati, ſed Eccleſiae munus publicum eſſet, quippe quod die paſchali ſecundo de novis ſpicis hordeaceis aduſtis offerri (*e*) ſolebat.

XI. Emendatio, ad Lev. II. 2.

§. XI. Idem, ad Lev. II. 2. ſcripſit, in eo capite tantum agi de munere voluntario, utpote de quo illud ſit accipiendum, quod *fermentatum* eſſe debeat. Addit idem ad haec, id, quod

(*e*) MAIMONIDES, de *Juge ſacrificio & ſuperadditis*, c. VII.

quod de odore & ture ibi decernitur, ad munus voluntarium ejuſque deſignationem eſſe referendum. Verum ferta exſiſtebant, votiva ac voluntaria, ejus quoque indolis, ut ipſa vacarent fermento, in odorem gratum cederent, actus haberent conjunctum (*f*).

§. XII. Idem vir, laudibus ſuis haud privandus, ad Lev. II. 9. commentatus fuit, ſacerdotem Ebraicum aliquam placentae partem ſurſum more ſolito levare debuiſſe. Dicere volebat fortaſſis, ſacerdotis fuiſſe, pugillum de ferto ſumere. R. Salomo Iſaacides, qui in ritibus Judaeorum vetuſtiſſimis fuit verſatiſſimus, id ad hunc locum luculenter ſatis comprobavit. XII. Et ad Lev. II. 9.

§. XIII. Idem, ad Lev. II. 13. commentatus, adnotat, Mincham fuiſſe quoque Chriſti carnem, in craticula crucis mortuam, ubi pro certo poſuiſſe (*) videtur, *craticulam*, proprie dictam, fertis Moſaicis fuiſſe adhibitam, quae cum cruce in comparationem poſſit adduci. Sed *fertum*, quod nonnulli de craticula cognominarunt, erat ejuſmodi munus, quod in *ſcutella operta* parabatur, cui ne leviſſima quidem eſt craticulae imago aut ſimilitudo. Magiſtri Judaeorum id adpellant מנחה על המחבת, *fertum ſuper patina*, eam quidem ob cauſſam, quia illud in patina aut vaſe plano, cui deeſt mar- XIII. Nec non ad Lev. II. 13.

(*f*) MAIMONIDES, de *Oblationibus*, XII. 4.

(*) Eumdem errorem nuper denuo etravit novus Pentateuchi Moſaici interpres Wertheimenſis teutonicus, qui inciſum 7. Lev. II. ita tranſtulit: **Man kan auch etwas von Meelwerck auf dem Roſt backen und ſolches Gotte zur Gabe bringen.**

Digitized by Google

margo, ad formam duram, firmam, & conſiſtentem parabatur. Si quod vas cum patina illa conferri poteſt, illud ad eam proxime accedit, quod noſtri vocant eine Tortenpfanne / Galli *une poille à tourte*, *tourtiere*, Latini aetatis ſerae *clibanum*, *ſartaginem*, *ſcutellam opertam*.

XIV. Et ad Lev. XXIX. 29.

§. XIV. Idem, ad Lev. XXIX. 29. ex Cornelio a Lapide commentatus, libamen nunquam per ſeſe ſolum, ſed ſemper cum ſacrificio, oblatum fuiſſe, cenſuit. Liceat intercedere, ac adnotare id, quod antiquitatum Judaicarum complexui eſt conſentaneum. Si quis enim vinum daret ſolum, tum ſale illud condiri & ſuper altaris pavimento effundi ſolebat, quemadmodum jam ſupra ex Maimonide (c. II. §. 6.) recenſere me memini,

XV. Emendatur Polus, ad Lev. II. 2.

§. XV. MATTHAEUS POLUS, in *Synopſi Criticorum*, ad Levit. II. 2. muneris *memoriale*, אזכרה, de laudibus, queis Deus celebratur, ſeu de celebratione Dei, interpretatur. Idem *memoriale* turis per celebrationem, in Deum collatam, exponit. Verumenimvero monuimus jam ſupra, utrumque locum de pugillo eſſe intelligendum. Ven. *Hermannus* van der HARDT vocem אזכרה per *χωρισμὸν*, *ἀποχωρισμὸν*, *ſeparationem*, *partem ſeparatam*, reddidit. Alexandrini adhibent ac ſubſtituunt vocem *μνημόσυνον*, *monumentum*, *memoriae ſymbolum*. Lev. II. 2, 9, 16. Eſ. LXVI. 3. In ſententia Hardtii requirimus rationem ac nervum, rati, linguam Ebraicam ex recentiori illa Graeca haud eſſe deducendam, ſiquidem JO-

AN-

ANNES PETRUS ERICUS (*g*), in eodem clivo ſudans quondam, nulla tulit puncta, nam utriuſque ſermonis indoles toto coelo diſcrepat.

§. XVI. Idem ad Lev. II. 11. exiſtimavit POLUS, ſerta voluntaria caruiſſe fermento. Quod quidem, ut de nonnullis recte pronuntiatur, de univerſis nequaquam eſt adfirmandum. Monuimus de hoc momento jam ſupra illud, quod huc poteſt referri. XVI. Ad Lev. II. 11.

§. XVII. Idem POLUS, ad Lev. II. 12. ſeſe, ut *primitias fermenti* exponat, admodum fatigat ac in omnes vertit partes; omnibus tandem argumentis viribuſque in medium adlatis, primitias manipuli paſchalis deſignari, tum ſibi tum aliis it perſuaſum. Si quis complexum ſermonis, in eo loco perſcripti, expendat, eum fateri oportet, de primitiis tritici iſtic agi. Quo ipſo pateſcit, panes pentecoſtales, ex tritico paratos, ac fermento ſubactos, qui tanquam primitiae tritici offerebantur, ibidem eſſe intelligendos, quippe qui tanquam primitiae tritici offerebantur. Nulla enim ferta ex novo illius anni proventu offerri, nec ulla inde mica a ſacerdotibus (*b*) comedi potuit ſeu debuit, antequam panes pentecoſtales oblati eſſent (*i*). XVII. Ad Lev. II. 12.

§. XVIII. GUILIELMUS OUTRAMUS (*k*) arbitratur, *libaminum munera* adpel- XVIII. Emendatur Outramus.

(*g*) In *Ἀνθρωπογλοσσογονία*, ſive *Humanae linguae Geneſi*, cujus Tomus primus Partis primae, Venetiis 1697. 4. ſumtibus Auctoris editus, prodiit.
(*b*) JOSEPHUS, *Antiq. Jud.* III. ult.
(*i*) *Menachot*, X. 6.
(*k*) de *Sacrificiis*, L. I. c. 8. §. 4.

pellari illa, quibus vini libamen acceſſerit. Maimonides e contrario, ſolam ſimilam vocatam fuiſſe munus libaminum, cenſuit (*l*). HADRIANUS RELANDUS nobis calculum adjecit, ac in hunc modum (*m*) ſcripſit: *Quum Judaei ferta ipſa, ſive farinam, a libaminibus ſive vino diſtinctam, indicare volunt, nuncupant illa* מנחות נסכים.

§. XIX. Idem OUTRAMUS (*n*) dubitat, an Sacerdos Summus uno etiam die munus ſartaginum repetierit. Quo minus autem de eo dubitemus, impedit locus ille, Ebr. VII. 27. quo perſpicue, ita fuiſſe factum, perſcribitur. Unoquoque enim die Sacerdos Summus, primo pro ſeſe, deinceps pro populo, ferta (*) obtulit ſingula.

XX. Emendatur Bonfrerius, ad Lev. II. 2.

§. XX. BONFRERIUS, ſcriptor alioqui non contemnendus, in Commentario ſuo ad Lev. II. 2. credidit, aliiſque perſuadere tentavit, oleum quidem ferto, e ſimila compoſito, adfundi, nec tamen illud munus cum oleo commiſceri debuiſſe. Verum jam ſupra oſtendimus, munus ſimilae ut etiam cum oleo commiſceretur, fas fuiſſe ac legi divinae conſentaneum (*o*). Tradunt enim antiquiſſimi Judaeorum ſcriptores, in praeparatione fertorum, quae parantur in vaſe, requiri tres *olei effuſiones* שמנה יציקות. Primo oleum inditum fuit vaſi, mini-

(*l*) Supra, Cap. I. §. 13.

(*m*) In *Antiquitatibus ſacris veterum Hebraeorum*, P. III. c. 8. §. 1.

(*n*) Loco laudato, §. 19.

(*) Hoc non agnovit *Melchior* LEIDEKKER, de *Republica Ebraeorum*, L. XI. c. 2. p. 625.

(*o*) Supra, c. I. §. 7.

Digitized by G

niſteriis ſacris idoneo, ac deinde oleo ſimilam addiderunt. Secundo oleum ſuperfundi ac cum ſimila commiſceri ſolebat. Haec actio vocata fuit בְּלִילָה, *mixtio*. Tum ſequebatur לִישָׁה *ſubactio* (die Knetung,) ac porro coctio. Poſt comminutio in fruſta, dicta פְּתִיתָה (p). Oleum tertio fuit adfuſum, quam actionem vocarunt יְצִיקָה: quo facto pugillus & eximi & adoleri conſuevit: reliquum vero a ſacerdotibus comedebatur. Utinam interpretes haec ſedulo diſtinxiſſent.

§. XXI. Idem BONFRERIUS, ad Lev. VII. 12. commentatus, commemoravit, coctam ſimilam haud diſcrepaſſe a placentis ac laganis, oleo unctis oleoque frixis. At coctam ſimilam, veluti tertiam azymorum ſpeciem, diſtincte a placentis & ſaganis, fermento haud imbutis, diſtinxit R. SALOMO ISAACIDES, in Commentario ad hunc locum. Etenim ſimila in aquae calidae receptaculo, antequam oleo frigeretur, fuit cocta. Quod ipſum in placentis vel laganis haud fuit conſuetudine receptum. XXI. Et ad Lev. VII. 12.

§. XXII. CORNELIUS a LAPIDE, ut ſuum ſacrificium defendat miſſaticum, ad Lev. II. 1. ſtatuit, ſacrificium generatim dividendum eſſe in animatum & inanime, priusque diſtribuit porro in *holocauſtum pacificum*, ac illud, quod *pro peccato* adlatum fuit; poſterius, ſeu inanime, illud ſibi inveniſſe putat in fertis. Verum illa diviſio & linguae Ebraicae & Judaeorum magiſtris e diametro repugnat. Vox מִנְחָה XXII. Emendatur Cornelius a Lapide, ad Lev. II. 1.

(p) Levit. II. 6. *Menachoi*, VI. 4.

מנחה *donum* complectitur omnino (*q*) & ſacrificia & ferta. Origo enim nominis profluxit ex מנח (*r*), صنخ, *donando*. Verum per *ſacrificium* non niſi vivae beſtiae deſtructionem deſignamus, ſi Judaeos ſequamur duces. Significatio vocis מנחה ampliſſima ex eo perſpicitur, quod Habelis ſacrificium, ex ovibus deſumtum, aeque dicitur מנחה, ac Caini oblatio, ex frugibus depromta. MAIMONIDES vero (*s*) oſtendit ac declarat, ſacrificium quodcunque ex animatis conſtare, fertum vero nunquam vocari ſacrificium.

XXIII. Et ad Lev. II. 4.

§. XXIII. Idem, ad Lev. II. 4. commentatus, in ea eſt ſententia, S. Laurentium fuiſſe craticulae victimam, eumque comparat cum ferto ſcutellae, ſeu craticulae. Laurentius ſub Valeriano interiit. De eo videndi ſunt AMBROSIUS, *Offic.* I. 41. AUGUSTINUS, *Tract.* XXVII. *in Joannem*, ac PRUDENTIUS, in *Hymno de Paſſione Laurentii.* Comparatio Cornelii a Lapide infirmo ſtare talo deprehenditur, dummodo formam ſcutellae, fertis parandis idoneae, meminerimus, de qua paullo ante (§. 13.) diſſerui. Liceat, id coronidis loco monere, quod veritati perquam eſt conformatum, videlicet peritiam antiquitatum Judaicarum exquiſitiſſimam ab interprete ſacri Codicis nequaquam poſſe disjungi. Qui expoſitionem ſacrarum litterarum metiuntur interpretationibus Eccleſiae Patrum, cum hac veri-

(*q*) LEIDEKKER, l. c. p. 618.
(*r*) RELANDUS, l. c. p. III. c. 7. §. 1.
(*s*) *de Oblationibus*, c. VII. §. 17.

ritate colluctantur eique bellum i juſtum indicunt; ſiquidem primi Chriſtianorum Doctores, quorum exſtant ſcripta, rituum Judaicorum ac Codicis Miſchnici erant experte. Si qua Origenes, ſi qua Hieronymus, ex antiquitatibus Judaicis, habuerunt percepta, ea certe fuerunt tenuia ac infra cognitionis debitae complexum poſita & amandata.

CAPUT V.

De Translationibus nonnullis emendandis.

§. I. Lutherus noſter, Lev. II. 2. vocem *ſacerdotis* addidit, quae ab Ebraico contextu abeſt, ſubaudienda tamen ex inciſis eſt, quae praecedunt. Idem, Lev. II. 7. *faciet*, er ſoll machen / poſuit loco vocis, *fiet*, es ſoll gemacht werden. Sed ſenſui nulla vis fuit illata. Ibidem ipſe ſcutellam opertam, ſeu caburn, vocavit Rüſt, *craticulam*. Diximus de forma ſcutellae (c. IV. §. 13. 23.) Tolerari tamen poteſt craticula, non ob formae ſimilitudinem, ſed ob actionem, effectui datam in ſcutella operta; quippe in quo res haud fere aliter, ac in craticula, torrebantur. Idem, Lev. II. 8. *Munus, quod ex ejuſmodi rebus fiet*, tranſtulit, das Speisopfer / das du machen wilt / *ferium id, quod facies*. Senſum potius reſpexit, quam verba. Idem, Lev. II. 11. vocem, *facies*, poſuit loco vocis, *fiet*. Mallem, vox מנחה transferretur, Gabe / *ferium*, non vero, Speisopfer, *ſacrificium ex cibariis*. Sacrificia enim deſumebantur ex animalibus, non de frugibus. I. Excuſatur tranſlatio Lutheri.

gibus. Ibidem in Ebraico legitur: *non incendetis Jehovae ex illo.* Lutherus copioſius haec reddidit: Kein Sauerteig noch honig ſoll darunter dem Herrn zum feuer angezündet werden. Vocem אִשֶּׁה v. 2. 3. 10. 16. Lutherus vertit per *ignem*, feuer. Proprie pars illa oblatorum, quae igni dabatur in pabulum, vocata fuit אִשֶּׁה, quum partes reliquae ederentur. Interpres Wertheimenſis teutonicus recte reddidit vocem ex parte, eam interpretatus per *ſacrificium, igne conſumendum*, ein Opfer / welches von dem Feuer muß verzehret werden. Vox vero *Opfer*, niſi late intelligatur pro oblato, auctorem ab errato abſolvere non licet. Pugillus ferti proprie dictus fuit אִשֶּׁה, ipſe enim duntaxat ex fertis comburebatur. Venerabilis HERMANNUS *van der* HARDT vocem hanc Ebraicam comparat cum Graeca θυσία. Verum Graeca vox ex ſimpliciori θύω deſcendit, in qua nulla littera exſtat, cui cum voce Ebraica intercedit adfinitas. Si ſignificatum ſpectemus vocis utriusque, tum Graeca latius patet, quam Ebraica. Et quis fertum, munusque de frugibus oblatum, jure adpellabit θυσίαν, *victimam, quae* mactatur, diribetur, ac vel ex toto, vel ex parte concremari ſolet. Lutherus vertit, v. 10. Das übrige aber ſol Aarons und ſeiner Söhne ſeyn / *Reſiduum eſto Aaronis ac filiorum ejus.* In Ebraico eſt: *reſiduum ex ferto.* Quare tranſlatio ita erat formanda: das übrige von dem Speisopfer. Verum haec omiſſio ſenſum non turbat, ſiquidem ex complexu orationis facile intelligitur, de mincha, ſeu ferto, eſſe ſermonem. Idem inciſum 18. c. XXIII. Levitici, quan-

quantum ad partem adtinet, ita convertit in Germanicum: Das ſoll des Herrn Tranckopfer ſeyn / *hoc eſto libamen Jehovae.* Verum in praecedenti verborum ſerie nulla de libaminibus fit mentio. Senſus potius ibi ita eſt, ſecundum voces Ebraicas, exprimendus: *Haec erunt holocauſtum Jehovae cum munere ſuo ac libaminibus ſuis.* Idem vertit I. Sam. XXVI. 19. Reitzet dich der Herr wieder mich / ſo laſſe man ein Speißopffer riechen. R. Salomo Iſaacides ſenſum hunc praefert: *Si Dominus permiſit tibi, ut locum dare poſſis animo tuo erga me, accipiet ipſe vel olfaciet precationem.* En Ebraica: אִם יְיָ הִסִּיתְךָ יָרַח מִנְחָה , בִּי Quodvis donum, quod amicus amico, vel cliens patrono, ſubjectus aliis, praecipue Regi ſuo, adferebat, dictum fuit מִנְחָה Gen. XLIII. 11. XXXII. 20. Judaei & mane & veſperi in templum coibant, quum Deo munus offerretur. Sacrificia ac ferta tum offerebantur: recitabantur preces: ſacerdos tandem ſuffitum in adyto priori expediebat ac, recedens, hierologiam inſpectanti audientique populo impertiebatur. Nonnunquam actus ille univerſus vocatur Mincha. Davidis haec fuit mens, haec ſententia: *Si Dominus in me mala immittenda decreverit, expiabitur munere, ferto, adjectiſque precibus.* Muneri addebantur tura, quae odorem excitabant gratum. Si quod munus Deo erat gratum, illud ei in odorem jucundum ceſſiſſe, legitur, Lev. XVI. 31. quo ipſo indicatur adprobatio Dei ejuſque clementia. Quare formula יְרַח מִנְחָה hunc fundit ſenſum: Er wird die Gabe gnädig annehmen und ſich gewinnen laſſen / das Verhängte Züchtigungs

Übel zurucknehmen / und mich ſchützen. Lutherus ita tranſtulit, Ezech. XLV. 24. zum Speisopfer ſoltu opfern ein Epha. In Ebraico contextu vox *accipiet* omiſſa eſt. Epha farinae non fuit oblata Deo & concremata in altari. Pugillus enim tantum ad altare adlatus ac igni combuſtus fuit. Eadem obſervatio quadrat ad Ezech. XLVI. 5. ubi itidem verus ſenſus ita reddendus: *accipiet epham ad munus.* Lutherus: er ſoll jr ein Epha Speisopfer opfern. Adhibuit ipſe vocem *offerendi* in ſenſu latiori.

II. Cenſura expromitur in verſionem Sebaſtiani Schmidii.

§. II. SEBASTIANUS SCHMIDIUS Latinam univerſi Codicis Sacri adornavit translationem. In ea haud pauca exſtant, quibus lima defuit. Nobis liceat ea enotare, quae ad praeſentem tractationem ſunt referenda. Ipſe, in Lev. II. 6. haec dedit: *effundesque ſuper eam* (mincham) *oleum*, (tum grata) *mincha* (erit.) Verumenimvero ferta haud fiebant grata per olei infuſionem, ſed per combuſtionem pugilli (Cap. IV. §. 9.) (*) Idem Lev. II. 8. vertit: *appropinquabitque* (quiſque veſtrum.) In Ebraeo eſt: והקריבה *& appropinquare faciet illud*, nempe munus. Idem Lev. II. 9. ita vertit: *ſacerdos autem attollet in memoriale.* Vertenda

(*) Inciſum illud ita eſt reddendum: *In partes illud dividite, tanquam bolos vel offas, effunde porro ſuper id ipſum* fertum, quod coxiſti, *oleum. Hoc quoque pacto paratur fertum.* Adpoſite interpres Wertheimenſis: *dieſes gibt gleichfals ein Opfer von Meelwerck ab.* Ipſe tamen alibi vocem מנחה rectius tranſtulit per *munus farinaceum*, *eine Gabe von Mehlwerck.* Nam ſacrificia incruenta pro nullis merito habentur, niſi oblata quaevis, & ſacrificata, velis pro rebus eidem reputare.

tenda haec ita erant potius: *Tollet vero ſacerdos ex ferto id, quod ejus eſt memoriale.* Pugillus vero, inde exemtus ſeu ſublatus, erat illud μνημόσυνον, illud *memoriale.* Idem Lev. II. 12. interpretatur: *ſuper altare non adſcendere facient* fermentum & mel. In Ebraico eſt: אֶל הַמִּזְבֵּחַ לֹא יַעֲלֶה, *ſuper altare non adſcendent.* Idem, Lev. II. 16. vertit: *Sacerdos autem offeret in memoriale de contuſo ejus.* Dicendum erat: *Sacerdos vero offeret memoriale ejus*, id eſt pugillum; *de contuſo* מִגַּרְשָׁהּ *ejus*, de contuſis ariſtis hordeaceis, in feſto Paſchatis die oblatis. R. S. Iſaacides vocem גָּרַשׁ exponit ex ſignificatu שְׁבִירָה & פְּחִינָה *fracti* & *commoliti.* Idem Schnidius vertit Lev. VII. 9. hunc in modum: *Aut quae* (mincha) *conficietur in ſartagine, aut ſuper cacabo.* Dicendum erat potius: *in cacabo, aut ſuper ſartaginem*, בְּמַרְחֶשֶׁת וְעַל מַחֲבַת. Idem Lev. IX. 10. ita vertit: *At omnis mincha, mixta oleo, & arida, omnium filiorum Aaronis erit.* Compoſuit nempe is hoc inciſum cum eo, quod proxime antecedit, ratus, ſacerdotem, qui minchas illas obtulerit, ſolum inde comediſſe. Verum etiam de reliquis minchis, ſeu fertis, ſacerdotes edebant, eo die miniſterio ſacro fungentes, quo offerebantur. Conferatur R. Salomo Iſaacides ad hunc locum.

§. III. JOANNES CLERICUS translationem Pentateuchi novam in lucem fuit enixus. In ea quum locum Exodi XXIX. 2. vertiſſet ita: *Placentas azymas, oleo mixtas, & lagana, oleo inuncta*, puta facies; in Commentario ipſo dubitavit, utrum ante, an poſt coctionem, placentae illae ac lagana uncta fuerint. III. Nec non in verſionem Joannis Clerici.

Illi vero, qui in Judaeorum antiquitatibus ſunt verſati, perhibent, unctionem illam, coctione finita, fuiſſe peractam (r). Deinde ſcribit Clericus: *Diſcrimen inter Challoth* (placentas) *& Rekikim* (lagana) *ne conjiciendo quidem quiſquam dixerit.* Sed conjecturis heic liceat ſupersedere. Communis enim inde ab aevo antiquo inter Judaeos pervagatur doctrina, quae comprobat, *placentas craſſas* dici *challoth*, *tennes* autem *rekikim* (s).

§. IV. Idem, ad locum Levitici II. 2. vertit vocem אַזְכָּרָתָהּ *odoramentum ejus.* Horrebat vir, terſae latinitatis ſtudioſus, illud, vulgo ibi adhibitum, *memoriale ejus.* Credidit praeterea, verbo הִקְטִיר ineſſe ſignificatum (*) *adolendi.* Verum haec ſibi invicem non poſſunt opponi. Nam quando pugillus adoleretur, ut inde odoramentum exſiſteret, *memoriale* erat illud ac ſymbolum recordationis, quod Deus clementer meminiſſet hominis illius, qui munus dederat.

§. V. Idem, ad Lev. II. 6. maluit retinere *craticulam*, cauſſatus, Ebraeis fidem haud eſſe habendam, adfirmantibus, vas intelligi, cujus profundius exſtiterit labrum, eo quod illi Ebraei formam illius vaſis non viderint, ſuis uſi ocu-

(r) MAIMONIDES, de *Oblationibus* c. XIII. §. 8.

(s) Lexicon *Aruch*, fol. 40. 3. MAIMONIDES, in *librum Miſchnicum*, *Beza*, c. II. §. 5.

(*) Interpres nuperus teutonicus Pentateuchi Moſaici, qui A. 1735. 4. Wertheimii edidit *den erſten Theil der Göttlichen Schriften vor den Zeiten des Meſſie Jeſus*, p. 480. ſq. alibique, cum Clerico fecit, vocem אזכרה interpretatus per *Rauchwerck.*

oculis. At vero nonne ipſi permulta ab eis, qui vaſa templi ac Judaeae viderant, acceperunt? (*t*) Eadem monenda arbitror in gratiam tranſlatoris Wertheimenſis nuperi, qui Clerici veſtigia ſaepius adoravit.

CAPUT VI.

Quo conciliantur contradictiones adparentes.

§. I. Deus ſanxit, Lev. II. 11. ne ullum munus fermento eſſet imbutum. Praeterea praecipitur, Lev. VII. 13. ut, fermentum ad munera ſeu ferta adhiberi, fas ſit omnino. Videntur haec loca inter ſeſe fronte pugnare adverſa. MICHAEL WALTHERUS, in *Harmonia Biblica*, haec ita inter ſe componit, ut credat, de munere voluntario agi Lev. II. 11. & de ſacrificio euchariſtico Lev. VII. 13. Verum ſupereſt ſcrupulus, qui animum pungit. Nam munera etiam, ſeu ferta, cum ſacrificiis euchariſticis conjuncta, erant voluntaria. Quare nihil reſtat, niſi ut dicamus, ferta fermento tum caruiſſe, quum ſine ſacrificio euchariſtico erant oblata. I. Conciliantur loca Lev. II. 11. VII. 13.

§. II. FRIEDLIBIUS, in *Theologia Exegetica*, fol. 197. 1. eamdem compoſitionis viam inſtitit, ac Waltherus. Quare eamdem repetere poſſumus reſponſionem. Facit nobiſcum HADRIANUS RELANDUS, qui rem curate ſatis exponit (*u*), hunc quidem in modum:

(*t*) Lexicon *Aruch*, fol. 24. 1.
(*u*) In *Antiq. ſacris veterum Ebraeorum*, p. III. §. 7. §. 2.

dum: *Omnis farina erat ſine fermento in omnibus fertis, exceptis panibus pentecoſtalibus*, Lev. XXIII. 17. *& fermentato ſacrificii ſalutaris*, Lev. VII. 13. Amos IV. 5. *quorum proinde nihil altari inferebatur*, Lev. II. 11. Menachot, V. 1. *His addunt nonnulli panes duos fermentatos*, שני הלחם *dictos, qui, quum locus eſſet ſacrandus, aut amplianda urbs, ad finem loci ſacrandi deferebantur, ita ut unus combureretur, alter comederetur*, Nehem. XI. 31. Hac ratione videlicet docebant, in loco novo ſacra eſſe tractanda, victumque ſublevandum.

III. Conciliantur loca Lev. II. 1. V. 11.

§. III. Idem, ad Lev. II. 1 ſcribit, ibi fuiſſe ſancitum, ut oblationi, ſeu ferto, infundatur oleum, tus vero imponatur. Addit, illud ipſum prohiberi, c. V. 11. Dubium, inde exortum, ut diſſolvat & extricet, ipſe reſpondet, in loco priori intelligenda eſſe ſacrificia voluntaria. Sed ex eis, quae jam ſupra diſputavimus, ſole meridiano clarius dilucet, ferta voluntaria non ſola requiſiviſſe & tus & oleum. Exſtiterunt enim ferta votiva, ex debito offerenda, quibuſcum & oleum & tus conjungi debebat. Quare rectius judicamus, exiſtimantes, ferta peccatoris ac mulieris adulterii ſuſpectae caruiſſe & oleo & ture. Oleum enim erat ſymbolum ſplendoris & gaudii, tus vero index gratiſſimi odoris ac benevolentiae. Quis vero crediderit, ad triſtem & egenum peccatorem, ad mulierem ejusmodi in ſuſpicionis periculum adductam, quadraſſe gaudia, ſerenum vultum, & benevolentiam?

Digitized by Google

CAPUT VII.

Quo Christiani repraesentantur, tanquam fertum, Deo gratissimum.

§. I. IN omni actione, quam suscipimus, finis nostri, ac usus, ex actione profluentis, memores nos esse oportet. Quare tandem jure nostro quaerimus, quem usum & quid adjumenti haec tractatio adferat eis, qui civitati per Christum coelesti sese esse adscriptos laetantur? Primo quidem de *fertis* in sacris litteris complura exstant, quae a nobis omnino & legi & intelligi est operae pretium. Sapientia enim Dei non solum patescit ex oeconomia Euangelica, sed ex ipsa quoque oeconomia legali est perspicienda. Nec facile aliquis felicitatem oeconomiae Euangelicae justo aestimabit pretio, nisi molem caerimoniarum antea introspexerit, Judaicae gentis cervicibus impositam. Religionem Christianam adpellarunt Patres primae nostrae Ecclesiae *Judaismum reformatum*. Quis vero credet, reformatam fuisse oeconomiam doctrinae Judaicae, nisi ipsum legum Judaicarum corpus habeat compertum? Et quomodo ei, qui in gentis Judaicae emendationem toto pectore incumbunt, ac eam Christo lucrifacere studeant, dignum aliquid conatibus suis efficient, nisi complexum Judaicarum legum, ac sarcinarum, ab interpretibus adjectarum, propius norint, quam vulgo fieri solet? Nonne ipse Christus sese patri tradidit, loco nostro ac pro nobis, in fertum fragrantissimum? Quo- I. Usus tractationis Christianus.

modo vim ejus beneficii magnificam grato praedicare animo valebimus, nisi quid & quotuplex exstiterit fertum, comprehensum & perceptum habeamus? Quomodo epistolam, ad Ebraeos conscriptam, debite intelligemus citra doctrinam, quae de sacrificiis ac fertis tractari solet? Tempus fertorum offerendorum statis precibus fuit dicatum, quod ipsi Apostoli observarunt. Tempore Minchae magnae, preces ad Deum direxit Petrus, ὑπερῷον conscendens, Act. X. 9. A dimidia septima hora, secundum computationem temporis Judaici, coepit Mincha major. Tempore minoris Minchae, hora nona, Petrus & Joannes iverunt in templum, Act. III. 1. Haec pertinent ad Mincham vespertinam. Circa tempus Minchae matutinae, quod ab ortu solis ad horam quartam, Christiani primi precibus fuerunt intenti, quum dona Spiritus Sancti extraordinaria exciperent, Act. II. 15. Ipsi tandem Christiani comparantur cum Mincha, seu ferto. Quod postremum momentum in praesens sub examen revocabimus, ut officio nostro fungi doceamur.

II. Deo dicanda sunt praestantissima.

§. II. In primis Deum, tanquam Regem nostrum supremum, debemus venerari, cui vires spiritus in acceptis referimus. Regi gentes priscae aetatis dono dabant quaevis praestantissima. Numus fusus & percussus quondam erat rarus & infrequens. Divitiae gentium constabant frugibus, vino, pecore, vestibus. Potissimam igitur & selectissimam de frugibus, vino & pecore, armentisque, quibus fas erat vesci, gentes Regibus suis, munerum ac tributorum loco, obtulerunt. Deus sese pro Rege Ju-

Digitized by Google

Judaeorum Summo geſſit, ſoliumque ſuum inter Judaeos ac focum ſibi delegit. Quid igitur eſt mirum, ſi Judaei ad Regem ſuum ferta detulerunt. Plurima ipſorum pars a ſacerdotibus, quum inter adytum Dei ſanctiſſimum ac focum, ſeu altare exterius, conſiſterent, fuit vel adlevata in altum, vel agitata, ut innoteſceret veneratio & honor ſummus erga eum, qui altus & ubique praeſens exſiſtit. Agitationem, תנופה, ſymbolum fuiſſe venerandae omnipraeſentiae, perviderunt quoque R. BECHAI, & R. LEVI *Ben Gerſon*, *in Commentariis* ad Lev. VIII. Aa ad eumdem ritum adluſerit Paulus, Eph. III. 18. in praeſens non diſputabo, ſiquidem Cl. BENNERUS (*x*), ad quatuor dimenſiones templi ſancti, in mentibus piorum conſpicui, ibi reſpiciendum eſſe, arbitratur; varias vero ſententias adtulit fautor noſter, Celeberrimus CHRISTOPHORUS AUGUSTUS HEUMANNUS, in Diſſ. de *Chriſti amoris erga homines immenſurabilitate*, quam Gottingae, A. 1735. publicis formis deſcribendam curavit. Suffecerit notaſſe, Chriſtum, in crucem actum, dici *exaltatum* (*y*), ac ſeſe extendiſſe in longum, latum, altum & profundum.

§. III. Noſtrum eſt, ut, ad inſtar ferti, nos Deo conſecremus penituſque tradamus. Ut ei, qui ex gentibus ad Chriſti doctrinam amplectendam fuerunt deducti, προσφορὰν, *fertum* oferant, juſſit magnus ille gentium doctor Paulus,

III. Debemus, nos & noſtra Deo conſecrare,

(*x*) In *Otiis Sacris*, p. 51. ſqq
(*y*) Joann. III. 14. VIII. 28. XII. 32. 34.

Digitized by Google

lus, Rom. XV. 16. Nec aliter praedixerat Malachias, I. 11. quocum conferendus eſt Eſaias, LIX. 19. LXVI. 29. Huic ferto Chriſtianorum ineſſe debet puritas & ſanctitas. Quisque locus ei offerendo eſt aptus, dummodo illud ſit purum & intemeratum. Kimchius id jam intellexit, qui inſignem R. Saadiae interpretationem produxit, in *Commentario ad* Hoſ. II. 6. Quidnam vero per fertum illud deſignamus? num Miſſaticum ſacrificium? Nequaquam. Significamus declarationem Dei clementiſſimam, in Euangelio patefactam, quae efficit, ut per nuntium Euangelii promulgatum ac propagatum gentes Deo offerantur, quocum conjunctae ſunt reliquae cultus divini partes (z).

IV. Ferta Chriſtianorum.

§. IV. Ferti Chriſtianorum ea eſt indoles, ut mentem, Deo addictam ac in Dei nutu adquieſcentem, requirat: ut amoris in alium quemvis praeſtantiam includat: ut, citra fidem ac fructus poenitentiae, de male factis actae, conſiſtere haud poſſit. Ferta enim, quae impuritate laborant, Deo ſunt inviſa. Externam impuritatem Judaei procul habuere, ferta oblaturi. Noſtrum eſt, internam impuritatem, ſqualores mentis, & improbitatum feces averſari, effugere, ac a nobis amovere. Fertum Caini Deo minus probatum fuit, eo quod animus, fide ad Deum ſublevatus, cum eo haud erat conjunctus. Omittendae ſunt ſimultates ac odia, quae

(z) *Theodorus* DASSOVIUS, de *Miſſa*, *Malachiae* I. 11. *non indicata*, in Theſauri Theologico-Philologici, ab Haſaeo & Ikenio adornati, Tom. I. p. 1111, ſeqq.

quae impedimento ſunt, quo minus fertum, Deo deſtinatum, ſua ſeſe virtute poſſit commendare, Matth. V. 23. 24.

§. V. Sal, tus, & oleum ad ferta Chriſtianorum condienda atque exornanda decet adferre. Salis ſymbolum eſt animi ad humanitatem conformatio, propenſio ad concordiam & ad amplificandos uſus communes ac mutuos, acerbitatis, moroſitatis evitatio, & prudentiae, quae in colloquiis verſatur, pulcritudo. Hunc ſalem, animo immiſſum, ſuis commendat Chriſtus, Marc. IX. 50. ac Paulus ſummis evehit laudibus, Col. IV. 6. Per tus denoto preces, incomparabile Chriſtianorum condimentum. Ex ture ſuffimenta parabantur, quae erant ſymbola precum, a ſanctis emitti ſolitarum, Apoc. VIII. 3. Oleum Chriſto ac Chriſtianis dedit nomen, denotat autem animum emollitum, ſerenum, laetum & recreatum ex efficaciſſima Dei conſolatione ac donorum in ſuos effuſione. Hoc eſt illud ἔλαιον ἀγαλλιάσεως, *oleum laetitiae*, quod Chriſtus, ex communione divinae ſuae naturae, infudit humanae naturae, idque ſuae excellenter, at piis, gradu finito. Ebr. I. 9.

V. Sal, tus, & oleum myſtice adhibenda.

§. VI. Vaſis ſacris puriſque excipienda erant Judaica ferta. Vaſa ipſa puris tantum manibus erant adtingenda. Ignis ipſe, cui pugillus injiciebatur, lignis vitio carentibus erat alendus. Quae ſingula nos docent, ſanctitatem eis debere ineſſe, qui, ſeſe a Chriſto redditos eſſe ſacerdotes & Levitas, laetantur. Purae ad preces dicendas levandae ſunt manus. Pura mente beneficia Dei ſunt excipienda & pro-

VI. Chriſtiani debent eſſe puri & ſancti.

Digitized by Google

profequenda. Nihil itaque ſupereſt, niſi ut illud (*a*) a Chriſto ſapientiſſime addamus dictum:

Beati illi, qui animo ſunt puro, ſiquidem ipſi Deum videbunt.

VII. Babylon myſtica, cui oleum, ſimila & triticum tribuuntur. Apoc. XVIII. 13.

§. VII. Babylon, illa myſtica, dives erat importatis aliunde mercibus, nominatim cinnamomo, ſuffimentis, unguento, ture, vino, oleo, & ſimila, tritico, jumentis ac ovibus, Apoc. XVIII. 13. Quis dubitat, Hieroſolymae potiſſimum ad ſacra facienda rebus illis advectitiis fuiſſe opus? Vinum libaminibus inſtituendis inſerviebat. Oleum, ſimila & triticum *fertis* erant propria. Babylonem illam pii habitarunt & incoluerunt, juſſi tandem, ut ſepararent ſeſe ab ea, v. 4. Locus itaque a cultus divini profeſſione, ac veritate ejus externa, haud fuit alienus. Id praecipue argumentum videtur luculentam complecti Babylonis illius deſignationem, quod a nece, Prophetis ac ſanctis viris inibi illata, deſumitur. Inciſo enim 24. diſtincte de Babylone illa dicitur: *In ea ſanguis Prophetarum ac Sanctorum fuit repertus, ac omnium obſignatorum* ΔΔΔ *in illa regione.* Nonne Hieroſolyma erat illa Prophetarum interfectrix? Jeſus certe ſic docuit, veritatis auctor, Luc. XIII. 33. 34. Matth. XXIII. 29. 30. 31. 37. Ad hanc urbem maxime quadrat vox citharoedorum, muſicorum, ſeu cantorum, tibicinum ac tubicinum, lux candelabri, nempe ſancti, de quibus in Babylonis delineatione

(*a*) Matth. V. 8. THEOPHILUS, *ad Autolycum*, L. I. p. 11. ſqq.

nibus variis injicitur mentio, Apoc. XVIII. 22. 23. De Hieroſolyma agi, nullum eſt dubium. An vero ea praebuerit Joanni imaginem loci alterius, cum Hieroſolyma in comparationem adducti, denuo poteſt inquiri, ac demonſtrari. Hieroſolyma certe ad eam poteſtatem ac potentiam haud fuit evecta, ut *omnibus gentibus vinum πορνειας*, id eſt, impurae doctrinae ac vitae, inſtillaverit. Hoc vero de Babylone illa myſtica plane proditum memoriae (Apoc. XVIII. 3.) reperimus. Ut verbo dicam, deſignatur per eam locus celeberrimus, commerciis dives, a mari navium admodum patenti & pleno haud procul disjunctus, verae religioni quondam dicatus, cujus praeſes doctrinam veram depravavit, Reges terrae, ad errores conſimiles amplectendos, induxit, teſtes veritatis coeleſtis neci dedit, ac luxuriam faſtumque ſuorum haud repreſſit. Haec momenta ſingula Joannes in medium adtulit. Apoc. XVIII. Quid per Babylonem myſticam ſit intelligendum, Celeb. *Chriſtophorus Matthaeus* PFAFFIUS ivit comprobatum, in libello, de *Recta Theologiae Propheticae conformatione*, p. 33. *Jacobus Maria* GRAVINA (*b*) poſt innumeros alios intelligit Romam, quae nondum ad ſacram Chriſti vitam & doctrinam ſeſe tranſtulerat. Verum, ſi vel maxime ſententiam noſtram fautoribus captandis attemperare velimus, temperare tamen nobis haud poſſumus, quin, Gravinam a momentis, quae recenſuit Joannes, aciem judicii removiſſe,

(*b*) In Synopſi Theologiae veterum Patrum, P. I. p. 56. quae edita fuit 1732. Panormi Siciliae, in folio.

viſſe, contendamus. Quomodo enim ferta, libamina, ac cetera Judaeorum ſacra, candelabrum aureum, & Levitarum concentus muſicus ad locum, ſimulacrorum cultui profano deditum, quadrant? ac quomodo Roma, nondum Chriſtiana, vinum ſcortationis, ſeu impurae doctrinae, omnibus gentibus inſtillavit & injunxit? Roma, a Chriſti doctrina adhuc aliena, cultum gentium devictarum ſacrum, ſeu pro ſacro habitum, non ſuſtulit, victimis humanis exceptis, Deos & Deas a populis adſcivit ac intra moenia ſua coluit: tantum abeſt, ut gentes incitaverit, ad ſacra nova amplectenda. Numquid Roma, a ſacris Chriſtianis adhuc disjuncta, Prophetas contrucidavit? Prophetas videlicet, qui excellentiori ſenſu ita ſolent adpellari. Sed quid opus eſt verbis, ubi res ipſa loquitur? Noſtrum eſt, puritatem doctrinae cum caſtitate vitae ita conjungere, ut nullo pacto partem Babylonis illius myſticae conſtituamus.

OBSERVATIO VIII.

De Itinere, a Paulo Apoſtolo, in Hiſpaniam deſtinato, non ſuſcepto, ad Rom. XV. 28.

SYNOPSIS.

§. I. *Pauli ſcopus, proficiſcendi in Hiſpaniam.*
§. II. *Locus Clementis examinatur, qui huc trahitur a quibusdam.*
§. III. *Hieronymi teſtimonium expenditur.*
§. IV. *Hieronymus credidit, Paulum itinere maritimo Hiſpanias adiiſſe.*
§. V. *Locus Martyrologii Romani examinatur, ac Bedae.*
§. VI. *An Jacobus Major unquam venerit in Hiſpaniam?*
§. VII. *Iſidorus ac alii crediderunt, Paulum venisſe in Hiſpaniam.*
§. VIII. *Monitum Joannis Alphonſi Turrettini.*
§. IX. *Ex loco,* Rom. XV. 28. *non liquet, Paulum in Hiſpaniam veniſſe.*
§. X. *Ex Sulpitio Severo argumentum adfertur, quo iter Pauli Hiſpanicum deſtruitur.*
§. XI. *In primis ex Chronologia actionum Pauli.*
§. XII. *Quare teſtimonia recentiorum ſunt nullius momenti, ac iter Pauli Hiſpanienſe intra deſtinationes ſubſtitit.*

§ I.

PAULUS, Apoſtolus ille immortali gloria concelebrandus, Hieroſolymam, Corintho relicta, petiturus, dedit epiſtolam ad Romanos incomparabilem, ac in ea ſpem & mentionem injicit,

de ſuo, quod meditabatur, itinere, Romam ac porro in Hiſpaniam inſtituendo. Ipſe conſilium ſuum ſuccincte indicat, hunc in modum: *Simulac beneficentiſſima munera, quae Chriſtiani, ex idololatris emendatiores redditi, Chriſtianis Palaeſtinis, qui Judaei antea exſtiterant, tradidere, ac ipſis hunc fructum, ſeu fertum de frugibus decerptum, obſignavere, iter per urbem Romam in Hiſpaniam ſuſcipere, eſt animus.* Ἀπελεύσομαι δ' ὑμῶν εἰς τὴν Σπανίαν. Conſilium Pauli humanum ex hiſce verbis elucet; an vero illud dederit effectui, ac iter ipſum ſuſceperit perfeceritque, ex hac deſtinatione nondum poteſt demonſtrari. Producemus argumenta in aciem ex utraque parte, tum eorum, qui illud fuiſſe ſuſceptum perhibent, tum eorum, qui itineri illi fidem omnem detrahunt. Ac tum, quid nobis de hac Hiſtoriae Eccleſiaſticae parte videatur, faciemus planum & manifeſtum.

§. II. Qui, iter a Paulo in Hiſpaniam fuiſſe initum, exiſtimant, ad varia ſcriptorum teſtimonia confugiunt, ibique ſuae ſententiae praeſidia ſeſe inveniſſe arbitrantur. Sunt, qui ex Clementis ad Corinthios epiſtola ſuffragium eo nomine expetunt magis, quam deducunt. Ipſe enim Clemens de Pauli obitu haec habet (*a*): Ἐπὶ τὸ τέρμα τῆς δύσεως ἐλθὼν καὶ μαρτυρήσας ἐπὶ τῶν ἡγουμένων, οὕτως ἀπηλλάγη τοῦ κόσμου καὶ εἰς τὸν ἅγιον τόπον ἐπορεύθη, ὑπομονῆς γενόμενος μέγιστος ὑπογραμμός. *Quum ad occidentis limitem veniſſet & ſub* Imperatorum *praefectis martyrium ſubiiſſet, e mundo migravit ac in locum deceſſit ſanctum, ſummum patientiae exemplar ſeſe ipſe praebens.* Notio re-

(*a*) In *Ep. ad Corinthios*, §. 5. p. 148. ſq. Tom. I. Coteler.

Digitized by Google

relativa ineſt vocibus, quae a cardinibus plagiſque coeli deſumuntur; quare alio reſpectu terra eadem poteſt dici ad orientem ſita, alio reſpectu ad occidentem poſita. Si Clemens deſignaſſet terram, cujus reſpectu hic limes occidentis eſt intelligendus, omnia ſeſe haberent recte, nec inveſtigatione difficiliori & conjecturis indigeremus. JOANNES FELLUS Romam in Heſperia ſive Italia judicat eſſe deſignatam (*b*). JOANNES PEARSONUS (*) Hiſpaniam intelligit. EDUARDUS STILLINGFLEET (*c*), patriae ſuae favens, Britanniam fuiſſe ſignificatam, credidit. Niſi obitus & martyrii, eum anteeuntis, mentionem Clemens injeciſſet, cogitationes ipſemet ad Hiſpaniam converterem. Verum, quoniam obitus Pauli ad urbem Romam referendus eſt (*d*), Hiſpaniam per τὸ τέρμα τῆς δύσεως, *terminum occidentis*, intelligere licet. Clementis mens in eo fuit verſata, ut Paulum ex Oriente veniſſe ad terras, occidenti confines, commemorare voluerit.

§. III. HIERONYMUS, de *Viris illuſtribus*, in ea eſt opinione, Paulum primo quidem, a Nerone demiſſum, ſparſiſſe doctrinam Euangelii, ἐν τοῖς ἑσπερίοις μέρεσιν, *in occidentis partibus*. Ipſi viſum fuit, idem jam a Paulo indicatum, II. Tim. IV. 17. qui haec ibi memoriae prodidit, *In prima mea apologia nemo mihi adfuit, ſed omnes*, nimirum Chriſtiani, Romae tum Paulo aggregati, *me deſeruerunt*.

(*b*) In *Notis ad epiſtolam Clementis*, p. 14. ed. Oxoniae. 1669. 8.

* In Diſſert. I. de *Succeſſione primorum Urbis Romae Epiſcoporum*, c. VIII. 9.

(*c*) In *Originibus Britannicis*, c. I. quas Anglice ſcripſit.

(*d*) HIERONYMUS, de *Viris illuſtribus* c. V. DIONYSIUS *Corinthius*, apud Euſebium, Hiſt. Eccleſ. II. 25.

Digitized by Google

Nolim hoc eis imputatum. Dominus autem mihi adfuit, & confortiavit me, ut per me promulgatio Euangelii compleretur, ac omnes gentes illud *audirent, etenim liberatus fui ex ore leonis*, quocum jamjam mihi erat depugnandum. Id, quod Hieronymus in hiſce verbis ſibi videre viſus fuit, in eis perinde haud conſpicio. Paulus docet, ſeſe, adjuvante Deo, ab intentata ſibi cum leone depugnatione fuiſſe ereptum: ſeſe cauſſam ſuam ita dixiſſe, ut liber & inviolatus fuerit dimiſſus e praetorio: Deum hoc pacto promulgationem Euangelii promoviſſe, & in celebritatem deduxiſſe ac ad ſecuritatem. Securitas adnuntiationis ſita eſt in voce πληροφορίας, quae a nave, plenis velis ac liberrime invehente, eſt defumta. Eum igitur finem liberationis illius Numen Supremum voluerat eſſe proprium, ut Paulus in poſterum eo liberius doctrinam Euangelii evulgaret. Roma erat locus celeberrimus. Quidquid ibi gerebatur, id putabatur agi in luce orbis terrarum. Cauſſa itaque Pauli inde innotuit ac increbuit paſſim, ac quicunque de ea aliquid audiebant, avidi fuerunt redditi doctrinae quoque ipſius, quam docebat, audiendae & cognoſcendae. Haec in verbis Pauli ſignificari video; praeterea nihil video. Quamobrem Hieronymum cum Paulo in concordiam redigo, ratus, Hieronymum intellexiſſe per *occidentis partes*, partes Europae, Romae adjectas. De Hiſpania heic nihil luculenti, nihil certi, pronuntiatur. Hiſpaniam dictam fuiſſe *Heſperiam* novi. Sed ἑσπερία γῆ denotat *terram, ad occidentem poſitam*, quae ex regula, quam de ideis relativis tradunt, eſt definienda, ac ex ejus loci termino, a quo verſus occidentem terrae ſeſe aperiunt, inveſtiganda.

§. IV. Hieronymum tamen, opinor, ita ſenſiſſe,

ſe, ut haud abnuendum crediderit illud Pauli iter in Hiſpaniam ſuſceptum. Ipſe enim, in Commentario ad Eſaiam, XI. 14. (e) haec habet: *Quod de unius Pauli Apoſtoli exemplo intelligamus, qui per Pamphiliam, & Aſiam, & Macedoniam, & Achajam, & diverſas inſulas atque provincias, ad Italiam quoque, & ad Hiſpanias alienigenarum portatus eſt navibus.* Licet vero oratio Eſaiae ab interpretatione Alexandrinorum & Hieronymi longiſſime ibi diſcrepet, illud tamen ex Hieronymi hiſce verbis intelligitur, quod ea aetate Hiſpanis Paulus Euangelium promulgaſſe jam fuerit creditus & exiſtimatus. Hiſpanis fortaſſe placuit, jam tum ſemina doctrinae coeleſtis, ſecum communicatae, potius ab Apoſtolorum celeberrimo, quam ab alio viro Apoſtolico, derivare.

§. V. MARTYROLOGIUM ROMANUM, ad XXII. Martii diem, refert, obiiſſe *Narbone in Gallia S. Paulum Epiſcopum, Apoſtolorum diſcipulum, quem tradunt fuiſſe Sergium Paulum Proconſulem, qui a S. Paulo Apoſtolo baptizatus, &, quum in Hiſpaniam pergeret, apud Narbonam fuerit relictus.* EMANUEL CAJETANUS SOUSA (f) orbi litterato ſtuduit perſuadere, Paulum itinere terreſtri in Hiſpaniam perveniſſe, idque ex hoc Martyrologii Romani loco ivit comprobatum, ac varia molitus fuit, ut Hieronymi teſtimonium enervaret. Tandem vero, in gratiam S. Jacobi, ita ſeſe expedire conatur, ut, Paulum exſtitiſſe extraordi-

(e) Verba Eſaiae: *Volabunt in navibus alienigenarum, mare ſimul praedabuntur.* Ita ea adfert Hieronymus.

(f) In *Expeditione Hiſpanica Apoſtoli S. Jacobi Majoris adſerta*, Tom. I. P. III. ſect. I aſſert. 48. p. 574. ſqq. Olyſſipone. 1727. fol.

Digitized by Google

narium & universae terrae Apostolum, reliquos vero Apostolos certas regiones sortito obtinuisse, existimet. Verumenimvero de itinere Pauli in Hispaniam terrestri nulla in Martyrologio Romano exstat vola, nullum vestigium. Divisio illa autem terrarum, quam recentiores Apostolis adfingunt, genuinis primorum saeculorum scriptoribus fuit incognita, & luculentis sacrarum litterarum testimoniis repugnat. BEDA fictionem illam, fatebor enim, commemoravit, si *Excerptiones Patrum* conscripsit ipse. In eis (g) enim haec legimus: *Jacobus Hispaniam accepit ad praedicandum, per sortem: Paulo cum ceteris Apostolis nulla sors propria traditur, quia in omnibus gentibus magister & praedicator eligitur.* Antequam sacrae Novi Foederis litterae in Latinum converterentur sermonem, fabula, de Apostolica per sortem divisione terrarum, non potuit cuiquam in mentem venire. Petrus de Juda Iscariote, qui fati diem occupaverat, perhibet, Act. I. 17. Ἔλαχε τὸν κλῆρον τ διακονίας ταύτης. Hasce voces vulgo vertunt: *obtinuerat sortem ministerii hujus.* Inde enata fuit illa de divisione terrarum Apostolica & insignis & pellucens fabula. In subsidium adscitum fuit incisum porro 25. Stupidus sit oportet, qui κλῆρον hoc loco ad divisionem terrae trahit. Intelligitur pars muneris ac officii singularis. CICERO *partes* vocat officia, muneri innexa: *Hoc est tuum munus, haec sunt tuae partes.*

§. VI. Ut plerique Hispanorum scriptores fictionem illam tantopere ament & exornent, ejus rei causa in eam, quam de Jacobo Majore fovent, conjicienda est opinionem. Ita enim praedicant, & ita ra-

(g) Tom. III. Operum Bedae, col. 485.

nationes ſuas putant. Paulus, ſecundum ipſorum judicia, ſorti certae haud fuit adſtrictus, Euangeliumque, ubicunque voluit, diſſeminavit & ire in vulgus juſſit. Jacobus vero in Hiſpaniam acceſſit, ceu terram, ſorti ipſius Apoſtolicae debitam. At Jacobus Major Hiſpaniam adtigit nunquam. In Judaea & Samaria ſparſit ſemen Euangelii, &, antequam myſterium illud, a ſaeculorum multorum inde decurſu ſilentio tectum, quo gentes extraneae ad baptiſmum, citra circumciſionem, adducendae erant, palam fieret & promulgaretur, Jacobus capitali plexus interiit ſupplicio. Tum Apoſtoli ad gentes nondum erant miſſi. Patent initia illius miſſionis demum ex Act. XIII. Jacobo jam obtruncato. Oſtium fidei gentibus recluſum legitur, Act. XIV. 16. Jacobus tum non amplius erat ſuperſtes. Cornelius non fuit ſimulacrorum cultor, ſed proſelytus portae. Paulus eis gentibus nuntiavit Euangelium, quibus de Chriſti doctrina adhuc nihil fuerat nuntiatum, eamque ob cauſſam, ut Hiſpanis primus daret & propinaret Euangelii doctrinam, in Hiſpaniam fuit iturus. Quod argumentum eis, qui ſub Clemente VIII. breviarium Romanum recognoverunt, tanti eſt viſum, ut hiſtoriam de Jacobo Majore, in Hiſpaniam ad Euangelium nuntiandum profecto, propemodum inde ejeciſſent, certe ad traditionem, Eccleſiis Hiſpaniae adridentem, rejicerent. Quae Ven. SOUSA ſuſpicatur de Paulo, Hiſpanos confirmaturo, vel Judaeis ibi duntaxat Jeſum nuntiaturo (*b*), ea ſunt nullius momenti, ac ne quidem umbram tuentur ullius probabilitatis.

(*b*) Tom. I. l. c. p. 101. ſqq.

§. VII. ISIDORUS Hiſpalenſis (*i*) populari-bus ſuis eum tribuit honorem, ut, *Paulum in Hiſpania praedicaſſe Euangelium*, referat. Ob tanti viri auctoritatem poſtea certatim crediderunt univerſi, rem ipſam ita eveniſſe, nec ulla dubitatione eſſe infringendam. Legimus porro, apud NICOLAUM ANTONIUM (*k*), exſtare in Bibliotheca monaſterii S. Aemiliani cucullati, vulgo San Millan, de la Cogolle, *libellum de Adventu ſanctorum Apoſtolorum Jacobi, Petri & Pauli, in Hiſpanias*, ſcriptum a S. Braulione, ut vulgo exiſtimatur, Epiſcopo Caeſarauguſtano, defuncto ad annum DCXLVI. qui vixit floruitque temporibus Siſenandi, Cinthilae, Tulganis & Cindaſuindi Regum (*l*). SOUSA dictatorie ſcribit (*m*): *Ego tamen, ut verum fatear, non adducor, ut credam, illud opus eſſe S. Braulionis, in cujus aetate nullus dubitaverat de illorum Apoſtolorum in Hiſpaniam adventu.* At diu de illo itinere eſt dubitatum. Illud noſtra adhuc aetate ad fabulas rejecit acutiſſimus NATALIS ALEXANDER, negans, S. Jacobum Majorem in Hiſpaniam abiiſſe praedicatum Chriſti doctrinam. NOTKERUS BALBULUS, Anno DCCCCXII. defunctus, in Martyrologio, quod cum Henbano condiſcipulo in monaſterio S. Galli collegerat, circumſpecte ſcribit (*m*): *Ad quorum* (Hiſpaniae populorum) *confirmationem etiam beatiſſimus Paulus Apoſtolus ſe iturum eſt pollicitus.* Confirmatio illa nullis nititur praeſidiis, & ex eis, quae adduximus (§. VI), ſua

(*i*) De Ortu & obitu Patrum, c. 69.
(*k*) In *Bibliotheca Veteri Hiſpana*, L. V. c. 5. n. 241.
(*l*) ILDEPHONSUS, de *Scriptoribus Eccleſiaſticis*, c. 12. p. m. 64.
(*m*) Tom. VI. *Antiquarum lectionum* Caniſii.

Digitized by Google

ſua ſponte labefactata corruit. JOANNES MARIANA (*n*), Iſidoro innixus, Jacobum Majorem in Hiſpaniam veniſſe, tradidit. Idem iter Pauli Hiſpanicum (*o*) pro vero habet; iter Petri, eodem directum, repudiat. Suffecerint haec teſtimonia in re non admodum obſcura, quantum ad Hiſpanorum opinionem adtinet.

§. VIII. *Joannes Alphonſus* TURRETTINUS (*p*) ea pro certis habet, quae de Apoſtolorum itineribus in Actibus Apoſtolicis ipſiſque Apoſtolorum litteris fuerunt ad memoriam poſteritatis transmiſſa. *Caetera*, pergit ita, *quae de ſingulorum Apoſtolorum itineribus Eccleſiiſque, per totum orbem ab iis conſtitutis, memoriae prodita ſunt, haud ſine examine admitti par eſt, adeo ſunt falſis ac incertis vera permixta.* Quae admonitio ab aliis quoque dudum fuit vel verbis expreſſa, vel facto demonſtrata. Promovemus itaque gradum ad ea argumenta, queis alii credunt iter Pauli Romanum poſſe everti.

§. IX. Ac primo quidem ad ipſam Pauli hiſtoriam, quae in litteris ipſius fuit perſcripta, animum adferemus adtentum. Non eſt neceſſum, ut adfirmemus, Paulum ſemper ea, quae conſtituerat, perfeciſſe. Ipſe enim non raro, id ſe facturum, ſpeſavit, quod, providentia divina hominem ad alia avocante, facere non potuit (*q*). Exemplum ejus-

(*n*) de *Rebus Hiſpaniae*, L. IV. c. 2. p. 122. Moguntiae, 1605. 4.

(*o*) L. IV. c. 3. p. 123. ſq.

(*p*) In *Hiſtoriae Eccleſiaſticae compendio, a Chriſto nato uſque ad annum* MDCC. p. 3. Genevae 1734. 8.

(*q*) JOANNES CLERICUS, in *Hiſt. Eccl.* ſaec. I. p. 423. JOANNES CHRISTOPHORUS WOLFIUS, *in Curis Criticis ac Philologicis*, ad Rom. XV. 28.

Digitized by Google

modi luculentum ipſe Paulus commemorat, I. Theſſ. II. 18. ſignificans, ſe bis conſtituiſſe ſecum, proficiſci Theſſalonicen, ac nihilominus variis turbarum procellis, a Satana excitatis, fuiſſe impeditum atque retentum. Qui animum ad lectitandas Apoſtoli divini litteras adpulerint, eis alia etiam ſeſe offerent exempla, e. g. Ebr. XIII. 23. Operam itaque perdunt ei, qui in anno definiendo ſunt ſoliciti, quo Paulus in Hiſpaniam adpulerit. Nam id, quod certo eveniſſe nondum intelligitur, fruſtra ad annos figitur certos atque determinatos.

§. X. In Hiſpaniis nondum ſaeculo ſecundo martyria ſub Aurelio, Antonini filio, fuerunt viſa, quae tunc Chriſtianae religionis, eamque profitentium, publici ac individui ſolebant eſſe comites. Quod ipſum argumento eſt, in Hiſpaniis ſaeculo primo religionem Chriſtianam nondum locum obtinuiſſe, vel radices egiſſe commemorabiles. Sulpitium laudo teſtem, qui haec prodidit memoriae (r): *Sub Aurelio, Antonini filio, perſecutio quinta agitata. Ac tum primum intra Gallias martyria viſa, ſerius trans Alpes religione Dei ſuſcepta.* Quis vero nobis dabit Martyrem, qui, ſaeculo primo, vel ineunte ſecundo, Hiſpanias morte cruenta & confeſſione nominis Chriſti intrepida illuſtravit? De fabulis & commentitiis martyribus non loquor. Teſtimonia requiro firmiora & examen criticum perferentia. Nonne & Hiſpaniae Romanis erant ultra Alpes poſitae, terra eo proficiſcentibus? Si Gallia ſerius ſuſcepit religionem Chriſtianam, quae Roma propius aberat, nulla ſane adparet ratio, cur Hiſpaniae, Galliis quippe disjunctiores, eam celerius adripuerint,

(r) *Hiſt. Sacr.* L. II. c. 32. p. m. 246.

Digitized by Google

rint. Verſabantur quidem Galli olim in ea haereſi, quod majores ipſorum a Dionyſio Areopagita ad doctrinam Chriſti amplectendam jam fuerint adducti. Ipſi itaque diſſentientes admodum aegre ferebant, adeo ut Petrus Abaelardus Regni Franciae hoſtis a Monachis Galliae fuerit cognominatus ac acerrime ab eis divexatus, eo quod in privato colloquio ſententiam Venerabilis Bedae vindicaverat, qui, Dionyſium Areopagitam Corinthiorum potius, quam Athenienſium fuiſſe Epiſcopum, tradiderat. Monachi enim cum Petro Abaelardo agebant per funeſtiſſimas conſequentiarum, ab invidia & odio deductarum, tricas, qui aliter ſeſe ſecurum fore non vidit, niſi fuga adrepta (*s*). Credebant Monachi, Dionyſium Areopagitam, niſi is fuiſſet Epiſcopus Athenienſium, Gallorum emendatorem & Apoſtolorum ſuorum primum haud eſſe potuiſſe: quod ſimulac in dubitationem revocetur, tum decus Galliarum & Regni tutelam diſceſſiſſe. JACOBUS tandem SIRMONDUS & JOANNES LAUNOJUS (*t*) de duobus ſcripſerunt Dionyſiis, ac non Areopagitam, ſed juniorem quemdam, Gallos ad Chriſtum deduxiſſe demonſtrarunt. Uterque ad illum refugit Sulpicii Severi locum, quem produximus; Launojus vero peculiarem Diſſertationem de illo Sulpicii Severi loco edidit, ac acerbiſſimas inde ſibi contraxit inſectationes, quas ipſe, quippe infra ſeſe poſitas, neglexit minimique fecit. Nec infitiari licet, locum illum Sulpicii eſſe inſtar omnium.

§.

(*s*) *Caſimirus* OUDINUS, *Comment. de Scriptoribus & Scriptis Eccleſiaſticis*, Tom. II. p. 1162. ſq.

(*t*) *Nova Eruditorum Acta*, 1734. Mart. p. 113. ſqq.

§. XI. Si vel maxime Hiſpanis eum honorem haud denegaturi eſſemus, quo, ſeſe a Paulo Apoſtolo eſſe viſitatos, gloriantur; nihilo ſecius reclamat ratio temporis, ad quam actiones Pauli in ſacris litteris fuerunt conformatae. Ipſe enim, captivitate Romana exſolutus, non in Hiſpaniam, ſed verſus Orientem per mare Jonium acceſſit ad Cretam inſulam, ibique reliquit Titum, eo fine, ut hic ibi praeponeret Eccleſiis Presbyteros (*w*); ipſe vero petiit Aſiam ac nominatim Epheſum (*x*). Ex Aſiae oris epiſtolam ad Titum ſcripſit, ac Titum ad ſeſe vocavit Nicopolin in Epirum, ubi hiematurus erat (*y*). Inde iter ſuſcepit in Dalmatiam, Euangelii nuntiandi cauſſa (*z*). Rediit porro Nicopolin, ac Corinthum ſeſe contulit (*a*). E Graecia Paulus in Aſiam delatus, Troade inviſit Carpum (*b*), ac Mileti Trophimum reliquit aegrotum (*c*). Quum Romam, exacto biennio, revertiſſet, in vincula fuit conjectus (*d*), ac leoni deſtinatus, quocum depugnaret (*e*). A leonis quidem metu liberatum ſeſe perhibet, addit tamen, mortem ſuam imminere (*f*). Ac paullo poſt Nero Paulum, utpote civem Romanum, gladio juſſit occidi (*g*). Obſtat itaque Chronologia actionum Pauli, quo minus, ipſum

(*w*) Tit. I. 5.
(*x*) I. Tim. I. 3.
(*y*) Tit. III. 12.
(*z*) II. Tim. IV. 10.
(*a*) II. Tim. IV. 20.
(*b*) II. Tim. IV. 13.
(*c*) II. Tim. IV. 20.
(*d*) II. Tim. I. 17. II. 8. IV. 17.
(*e*) II. Tim. IV. 16.
(*f*) II. Tim. IV. 6.
(*g*) CAJUS, apud *Euſebium*, Hiſt. Eccleſ. L. II. c. 25. L. CAECILIUS, de *Mortibus perſecutorum*, c. 2.

Digitized by Google

ipſum Roma in Hiſpanias profectum eſſe, credere poſſimus vel debeamus.

§. XII. Quae quum ita ſint, caremus facile Iſidoro Hiſpalenſi, Hieronymo & Mariana, quantum ad iter Pauli Hiſpanicum adtinet. S. Braulioni libellus ille, de adventu ſanctorum Apoſtolorum Jacobi, Petri & Pauli, in Hiſpanias, ſi quis exſtat, fuit ſuppoſitus. Ildephonſus enim aliique, qui Braulionis ſcripta recenſent, libellum illum omittunt. Et quis unquam, in Hiſpanias iviſſe Petrum, adfirmare ſuſtinuit? ne Hiſpanis quidem ipſis ea fabula videtur quodammodo probabilis, qui alioquin eum honorem, credo, ambabus adrepturi ſibique vindicaturi eſſent manibus. Nihil itaque ſupereſt, quam ut arbitremur, Paulum deſtinaſſe iter in Hiſpanias, illud autem non perfeciſſe.

EXER-

EXERCITATIO IX.

De CLAVE *ſolvente & ligante, ad* Matth. XVI. 17. 19. XVIII. 18.

SUMMA TRACTATIONIS.

§. I. *Pontificii haec dicta proram & puppim hierarchiae ſuae conſtituunt, quod exemplo D. Matthaei Petitdidieri illuſtratur.*

§. II. *Petra, cui Eccleſia Chriſti eſt ſuperſtructa, ad Pontifices Romanos haud trabenda, teſtibus Hieronymo, Auguſtino, Herma, aliisque.*

§. III. *Zoſimi Papae de petra teſtimonium examinatur, ejuſque vita & orthodoxia expenditur.*

§. IV. *Cypriani opinio de gubernatione Eccleſiae, & clave ſolvente ac ligante.*

§. V. *In Conſtitutionibus Apoſtolicis & alibi ligatio notat ſegregationem ab Eccleſia, ſolutio autem receptionem in gratiam & gremium Eccleſiae externae.*

§. VI. *Pluriml, jam ſaeculo* III. *crediderunt, Apoſtolos exſtitiſſe Epiſcopos certarum Eccleſiarum, & hierarchiam Epiſcopalem conferendam eſſe cum Levitica.*

§. VII. *Ligatio & ſolutio ex ritibus Judaicis quomodo ſint explicatae, oſtenditur.*

§. VIII. *Alii de morbis immiſſis & depulſis ligationem & ſolutionem expoſuerunt.*

§. IX. *Eviſceratur indoles allegoriae, quam Chriſtus ab aedificio deſumſit.*

§. X. *Eccleſiam ſuam Chriſtus comparavit cum templo Hieroſolymitano.*

§. XI. *De portis inferorum & ᾍδου, ac munitiſſima Eccleſiae Chriſti indole.*

§. XII. *Claves & oſtium Ec-*

Eccleſiae, ac ipſa ſancta Hieroſolyma.

§. XIII. *Cura clavium potioribus Eccleſiae Judaicae ſacerdotibus fuit demandata.*

§. XIV. *Indoles clavium, quas adhibebant veteres.*

§. XV. *Cuſtodia clavium Apoſtolis tradita.*

§. XVI. *Quale officium, per claves, Apoſtolis traditas, deſignetur, indicatur.*

§. XVII. *Petrum eſſe Eccleſiae fundamentum perſonale, primi docuerunt auctores librorum Apocryphorum, unde quoque evulgatum eſt, Clementem Petri fuiſſe ſucceſſorem.*

§. XVIII. *Ligatio & ſolutio primis Eccleſiae Patribus erat ſeparatio a coetu externo Eccleſiae & ad eum per poenitentiam receptio.*

§. XIX. *An Eccleſiaſtae poſſint ſolvere & ligare?*

§. XX. *Quod ipſum ulterius exponitur.*

§. XXI. *Analectorum ad ſuperius dicta particula.*

§. I.

EI, qui Eccleſiae Romanae dederunt nomina, pronuntiatum Chriſti, quod prae manibus eſt, hierarchiae proram puppimque conſtituunt, ac illud venerantur inſtar propugnaculi, quo ipſi tela Chriſtianorum aliorum univerſa, qui a ſcitis ipſorum diſſident, haud invita Minerva infringere & enervare valeant. Fidem oculatam denuo fecit & veterem nuper querelam cecinit vir Ven. MALACHIAS INGEMBERTUS, Abbas ordinis Ciſtercienſis & Clementis XII. Pontificis Romani, Bibliothecae praefectus, quippe qui, Anno MDCCXXXI. in forma, quam Folii minoris vocant, Romae edidit Opus Theologicum, idque ita inſcripſit: *Trattato Teologico, dell' Autorità ed Infallibità de' Papi, compoſto dal Padre D. Matteo Petitdi-*

didier, Abate Benedittino, opere date alla luce alla Santità di noſtro Signore Papa Clemente XII. *Pontifice ottimo maſſimo.* Ille Petitdidier exſtitit quondam, exeunte ſaeculo ſuperiori, Abbas ad S. Petri Senonum penes Gallos, ac Praeſes congregationis S. Vanni & S. Idulfi. Qui Italicam adornavit ac emiſit translationem, nomen ſuum quidem reticet. At qui Ingemberti opera reliqua attente legerunt, in primis vero praefationem, huic operi praefixam, & inſcriptionem, ad Pontificem directam, perluſtrarunt, haud aegre in eam deſcendent ſententiam, Abbatem Ciſtercienſem Romanum, qui in libri fronte indicatur, haud eſſe alium ac Ingembertum, virum equidem haud indoctum, nec ab eloquentia imparatum, ſed penitus tamen ad auram aulae Romanae captandam habilem & compoſitum. Ipſe ſibi idem cognomen *Abbatis Romani* tribuit, in titulo operis, eodem anno ibidem emiſſi, qui ſic habet: *La Teologia del Chioſtro* id eſt, *Theologia Monaſtica.* Opus ipſum tribus conſtat tomis, ac ad eumdem menſurae modum formis publicis fuit deſcriptum. Tomo tertio peculiaris titulus fuit praefixus: *Dilucidazione di alcune difficoltà, formate ſopra la Teologia del Chioſtro*, id eſt, *Expoſitiones & ſolutiones nonnullarum difficultatum, ſuper Theologia Monaſtica motarum.* Ipſe, in praefationibus ac dedicationum formulis, multus eſt & adſiduus, ut ſeſe Pontificis ſui Maximi clementia & gratia dignum porroque exornandum praebeat. Quid igitur miramur, ſi is ipſe libro Petitdidieri in Italicum ſermonem convertendo operam navavit? Mirandum eſt potius, eo quod opus haud aliud, ac illud Petitdidieri, fuerit in promtu, quo pertractatio maturior & argumenta luculentiora contineantur. Etenim hic Auctor id operis conſcripſit ad-

admodum juvenis, nec in definiendo, dividendo, & ratiocinando induſtriam, tanta molitione dignam, nec vim ingenii debitam adhibuit. Ponit videlicet Ven. Petitdidierius pro certo, quod Monarchia Pontificis Romani Eccleſiaſtica a Petri inde aetate nunquamnon exſtiterit eadem, & quod illa ſemper fuerit ejusdem indolis, ac noſtris temporibus, quibus illa ad ſummum potentiae & auctoritatis faſtigium adſpirat. Quamobrem ipſe ea paſſim decerpſit Patrum Eccleſiae teſtimonia, quibus, extra orationis complexum ſumtis, vinculum adfinitatis cujuſdam cum ſcopo ſuo intercedere videbatur. Si qua cum opinione, ipſi probata, minus conveniunt, ea omittit intacta, & aeterni ſilentii peplo involvit; Concilia ſingula a Romanis Pontificibus, qui eis praeſederint & in eis jurisdictionem Eccleſiaſticam exercuerint, convocata fuiſſe, intrepidus dictitat; ad Pontificem Romanum omnes ſemper Eccleſias cauſſam ſuarum detuliſſe controverſiarum, audacter ſatis contendit; ipſe libertati Eccleſiarum Galliae ubique reclamat, ac in eo deſudat mirifice, ut Regem Galliarum & Doctores Sorbonicos ſui Pontificis decretis plane & penitus ſubmittat. Ut autem molitioni tantae fundamentum ſubſtruat, ex locis (a) Matth. XVI. 17. Luc. XXII. 31. Joann. XXI. 15. potiora & prima conquirit adjumenta. Et ne ab auctoritate Patrum primorum videatur inops & defertus, nonnullorum loca, hinc inde delibata & decerpta, adfert, quibus idem ſenſus & eadem doctrina videtur poſſe comprobari. Urget ea, quae huc transferam. HIERONYMUS, *in Epiſtola ad Damaſum*, haec habet: *Cathedrae Petri*

(a) Cap. II. p. 9. 10.

tri communioni consocior; super hanc petram aedificatam Ecclesiam scio; quicunque extra hanc domum agnum comedit, profanus est. AUGUSTINUS, in Ps. contra Par. Don. *Numerate sacerdotes vel ab ipsa sede Petri, & in ordine Patrum quis cui successit, videte. Ipsa est petra, quam non vincunt superbae inferorum portae.* ZOSIMUS, Episcopus Romanus, *Ep.* 13. in honorem Petri, vel suum potius, ita scripsit ad Episcopos Africanos: *In cujus contumeliam quisquis insurgit, habitator coelestium non poterit esse Regnorum. Tibi, inquit, dabo claves Regni coelorum, in quae nullus sine gratia janitoris intrabit.* Haec laudat Petitdidierius. INNOCENTIUS II. ab ipso potuisset non minus laudari, quippe qui, in rescripto contra haereses Petri Abaelardi, quod est epistolarum Bernhardi 194. infallibilitatem suam ex illo: *Tu es Petrus*: comprobatum ivit.

§. II. Verum si scripta Hieronymi & Augustini lectitantur ipsa, tunc facile patescit, quantopere ipsi, in exponendis incisis 17. 18. capitis XVI. Matthaei, fuerint fluctuati. AUGUSTINUS, in Ps. LXIX. sic habet: *Petrus adpellatus est Petra, supra quam aedificaretur Ecclesia.* Idem tamen de Christo illam petram exponit, in *sermone de verbis Domini.* Eodem pacto HIERONYMUS (*b*) per *petram* illam, cui Ecclesia est superstructa, Christum intellexit. HERMAS, in *Pastore*, L. III. similitudinem nonam de aedificio, petra veteri, & & porta nova (id est, Ecclesia) desumsit, Deumque ipsum ita induxit loquentem (*c*): *Petra haec & porta filius Dei est.* TERTULLIANUS, nec Pro-

(*b*) Tom. IV. Opp. fol. 43. 1. edit. Froben.
(*c*) L. III. §. 12. p. 115.

Proteſtantium nec Petitdidierii expoſitionibus congruenter, clavem illam ſolventem & ligantem expoſuit (*d*) de poteſtate ſingulari Apoſtolica, ad alios haud transmiſſa. Non Succeſſoribus Petri Romanis, ſed Epiſcopis omnibus illa, quae ad clavem ſolventem & ligantem fuerunt dicta, fuiſſe inſtillata, auctor eſt ille, qui ſuppoſuit vel conſarcinavit Conſtitutiones Apoſtolicas (*e*). Quorſum igitur figere pedem potuiſſet Petitdidierius, ſi haec ad rectam judicii lancem expendiſſet? Quot enim ſunt Patres, ſeu primae Eccleſiae Doctores, qui *petram*, cui Eccleſia Chriſti eſt inaedificata, nequaquam de Petro, ſed de confeſſione Petri & Apoſtolorum miniſterio, vel etiam de Chriſto ipſo exponunt? Loca ſigillatim enotata reperiuntur apud RAUPPIUM, in *Bibliotheca portatili*, ad Matth. XVI. 17. *Joannem* LAUNOIUM, in *Epiſtolis*, Part. V. epiſt. 7. p. 419. ſqq. PINIUM, de *Antiquae Eccleſiae diſciplina*, Part. IV. c. 1. p. 304. ſqq. *Natalem* ALEXANDRUM, in *Hiſt. Eccleſ.* ſaec. I. Diſſ. IV. *Joannem Caſparum* SUICERUM, in *Theſauro Eccleſiaſtico*, Tom. II. p. 698. ſqq. edit. 1682. *Iſaacum* CASAUBONUM, *Exerc. Anti-Baron.* XV. §. 12. p. 321. ſqq. ed. Genev. 1654. 4. & in *Caſaubonianis*, p. 82. ſq. ad quae Ven. *Joannis Chriſtophori* WOLFII notae ſunt conferendae, p. 285. ſq. praeterea *Franciſcum* JUNIUM, in *Notis ad epiſtolam primam Clementis*, §. 5. p. 148. Tom. I. Cotelerii, M. ANTONIUM *de* DOMINIS, de *Republ. Eccleſ.* L. I. c. 6. *Guilielmum*

(*d*) Libro de *Pudicitia*, c. 21.
(*e*) Lib. II. c. 11. p. 220. & c 18. p. 228. Tom. I. Cotelerii.

FORBESIUM, Epiſcopum Edenburgenſem, in *Inſtruct. Theolog.* L. XV. c. 6. Ipſi de Pontificis Romani grege, *Joannes* LAUNOJUS & *Elias du* PIN, adverſus Bellarminum maſcule ſolideque oſtenderunt, in loco noſtro ne hilum quidem exſtare, quod primatui Pontificis Romani ſtabiliendo faveat. Pontificiis ipſis praeterea aliis illud, de petra Romae quaerenda, ſcitum ſaepius diſplicuit. Quum enim, ſaeculo hoc ineunte, Abbas du Jarry (*f*) perhibuiſſet, ſub *Petri* nomine ipſum Apoſtolum, ſub *petra* vero ſucceſſorem ejus, indicari, inſtituti hujus ratio ſeſe adeo non probavit (*g*) prudentioribus, ut commentatio potius ipſa ſupprimeretur (*h*).

§. III. Si PETITDIDIERIUS loca Patrum majori evolviſſet & verſaſſet cura, facile intellexiſſet, elucere id ex actionibus Auguſtini publicis & meditatis, quis fuerit Zoſimus, quid de ejus ſinceritate & veritatis ſtudio Auguſtinus ſenſerit, & quantopere Epiſcopus Romanus in rebus, ad capitales doctrinae Chriſtianae articulos adtinentibus, erraverit. Intelligetur, opinor, ex hoc unico exemplo, quanto robore & quibus nervis ſeſe commendet modulus ille argumentationum, quo Ven. Petitdidierus fuit uſus. Zoſimi is teſtimonium laudavit. Operae igitur pretium fuerit, Zoſimum intueri (*) propius, ut, quantum teſtimonio ejus ſit

(*f*) In *Panegyrico S. Petri*, p. 179.

(*g*) Ven. *Joann. Chriſtoph.* WOLFIUS, in *Curis Philologicis & Criticis*, ad Matth. XVI. 17, p. 112. ſq.

(*h*) *Nouvelles de la Republique des Lettres* de Mſr. Bernard, Ann. 1709. Sept. p. 357.

(*) Erraſſe Zoſimum, diffiteri non audet *Jacobus Hyacinthus* SERRY, de *Romano Pontifice, in ferendo de fide moribuſque judicio, falli & fallere neſcio*, c. IX. p. 63. ſqq. Conf. *Guilielmus* CAVE, in *Hiſt. litter. Scriptor. Eccleſ.* p. 253.

ſit tribuendum, curatiſſime perſpiciatur. Zoſimus Innocentio I, cujus oſſa oſtendunt in aede collegiata Gandershemenſi, ſucceſſit, &, Pontificem Romanum fallere fallique poſſe, ſuo exemplo docuit. *Alphonſus de* CASTRO, Pontificius, qui Anno MDXXXIV. libros XXIV. adverſus omnes Haereſes in lucem emiſit, clare & diſtincte ita pronuntiavit (*i*): *Omnis homo errare poteſt in fide, etiamſi Papa ſit - - Non enim credo, aliquem eſſe adeo impudentem Papae aſſentatorem, ut ei tribuere hoc velit, ut nec errare, aut in interpretatione ſacrarum litterarum hallucinari poſſit.* Ipſe Zoſimus Caeleſtii doctrinam, qui peccatum originale dari negabat, adprobavit, eo quidem conſilio, ut auctoritatem ſuam ultra faſtigium Epiſcoporum Conſtantinopolitanorum eveheret, qui Caeleſtium, Zoſimo inconſulto, tanquam haereticum ejecerant. Zoſimus porro accuſationes Epiſcoporum Africae, Herotis & Lazari, contra doctrinam Pelagianam emiſſas, condemnavit, ut hoc pacto Eccleſias quoque Africanas ſuae ſubjiceret jurisdictioni. Sed renuebant Epiſcopi Africani, habentes ob oculos poſitum illud Cypriani: *Neque quiſquam noſtrum ſeſe Epiſcopum Epiſcoporum conſtituit, aut tyrannico terrore ad obſequendi neceſſitatem collegas ſuos* (reliquos Epiſcopos) *adigit. Quando habeat omnis Epiſcopus pro licentia libertatis & poteſta-*

(*i*) L. I. c. 4. fol. 9. Addendum eſt teſtimonium Hadriani VI. qui, quum eſſet Profeſſor Theologiae Lovanienſis, Commentarium in quartum librum Sententiarum ediderat, largitus in eo, Papam errare poſſe in negotio quaeſtionum fidei. Ipſe Papa factus recudi opus fecit, ea tamen opinione prorſus haud mutata. *Continuatio Fleurii Hiſt. Eccl.* Tom. XXVI. ac inde in *Journal des Sçavans*, An. 1733. Mart. p. 305.

tis ſuae arbitrium proprium, tamque judicari ab alio non poſſit, quam nec ipſe poteſt alterum judicare. Sed expectemus univerſi judicium Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui UNUS & SOLUS habet potestatem, & praeponendi nos in Eccleſiae ſuae gubernatione, & de actu noſtro judicandi. Locum hunc laudat Petitdidierius (*k*) eumque agere arbitratur de rebus, ad externam diſciplinam Eccleſiaſticam ſpectantibus, videlicet de eis, qui ab haereticis erant baptizati, rebaptizandis. Verum Cyprianus hanc materiam doctrinae pro articulo fidei primario (*) habuit & neceſſario, adeo ut crederet, baptizatos ab haereticis aeternum ſalvari non poſſe (*l*). Eidem ſententiae accedunt Conſtitutiones Apoſtolicae (*m*) & Canones Apoſtolici (*n*). Quare Cyprianus tunc de articulo fidei Chriſtianae ponderoſo ſeſe differere exiſtimavit, quum, deciſionem Epiſcoporum, Romano haud excluſo, parem pariſque auctoritatis eſſe, perhiberet. Sed revertimur ad Zoſimum. Pelagius & Caeleſtius cauſſam & examen doctrinae ſuae ſubmittere ſedi Romanae dijudicandum cupiebant. Auguſtinus contra & S. Proſper Herötem & Lazarum, Pelagio & Caeleſtio ipſique Zoſimo refragantes, conlaudarunt. Zoſimus praeterea Proculum, Epiſcopum Maſſilienſem, quem Hieronymus aliique Eccleſiae doctores pro viro ſancto & probo habuerunt, injuſte multis expoſuit calamitatibus duriterque tractavit. Epiſcopi Africani interhaec deciſionibus a Zoſimo latis, Pelagio

(*k*) Cap. VI. p. 56.
(*) Quod non audet plane abnuere *Jacobus Hyacinthus* SERRY, c. VIII. p. 56.
(*l*) CYPRIANUS, Ep. 69. p. 183. 185. Ep. 70. p. 191.
(*m*) L. VI. c. 15. p. 344.
(*n*) Can. 46. 47.

Digitized by Google

lagio faventibus, intercefferunt & reclamarunt. Zoſimus, hiſce difficultatibus preſſus ac inter ſacrum & ſaxum haerens, vela vertit, calculos reduxit, & priores ſuas de Pelagii doctrina ſententias recantavit, ſeſe in materia fidei erraſſe haud diſſimulans. Ipſe enim mox Honorium Caeſarem eo impulit, ut edictum contra Pelagium & Caeleſtium, velut haereticos, ſanciret & promulgaret. Africani Epiſcopi, qui in Concilio Milevitano conſtituerant caverantque, ne cui Epiſcoporum liceret lites Romam deferre, Zoſimum Papam impoſturae convicerunt, ſiquidem hic canones Concilii Nicaeni ſupponere fuerat auſus, & quidem tales, quibus ſancitum dictitabat, ut univerſus orbis Chriſtianus ad tribunal ſedis Romanae, tanquam ad ſupremum in terris, provocaret unice. Anno CCCCXIX. Imperator lites cognovit & decidit, Eulalium inter & Bonifacium exortas, utrumque Pontificatus Romani competitorem (*o*). Per decurſum ſubſequentium ſaeculorum ſaepius in materia fidei erraſſe Pontifices Romanos, docuit dilucide Vir pl. Rev. *Joannes Fridericus* COTTA (*p*). Nihilo ſecius Ven. PETITDIDIERUS in loco noſtro, Matthaei ſcilicet, tantum praeſidii conlocavit, ut, Pontificem Romanum extra omnem errandi offenſionem poſitum eſſe, ex eo eat comprobatum, eaque fini permulta Patrum cumulet teſtimonia. Epiſcopos Romanos ſaeculo jam

(*o*) *Hiſtoire des Papes*, Tom. I. p. 178. ſqq.

(*p*) In *Commentatione Hiſtorico-Theologica, de Fallibili Pontificis Romani auctoritate, ex actis Concilii Conſtantienſis maximam partem deducta, atque Viro Clariſſimo, Matthaeo Petitdidiero, Theologo Gallo, oppoſita*, c. V. Liber prodiit Lugduni Batavorum, Anno 1732. 8.

tertio agitaſſe conſilia, ſubmittendi conſultis ſuis ac deciſionibus univerſum orbem Chriſtianum, nec Petitdidierus (q), nec nos abnuimus. Sed deeſt jactata illa exegetica traditio de petra, ob locum Matthaei noſtrum, Romae quaerenda (§. 2.)

§. IV. Cyprianus, Epiſcopus Carthaginienſis, Eccleſiam quidem conſiſtere ex doctoribus & populo univerſo, docuit (r); at gubernationem ac myſteriorum diſpenſationem tribuit antiſtitibus rei ſacrae, Epiſcopis, quippe quibus unam eandemque auctoritatem adſignat (s). Ipſe primatum & cathedram poſuit pro ſede & loco Epiſcopi cujuſque (t), unumque praepoſitum alteri haud ſubjectum eſſe, contendit (u). Hac de cauſſa ipſe Hiſpanis, Legione & Aſturicae verſantibus, quaerentibus ex ipſo nonnulla, ad res Eccleſiaſticas ſpectantia, reſpondit, in Epiſtola 67. Ipſi Romam non detulerant cauſſam ſuam, nec Cyprianus, in reſponſoria, Romae meminit. Baſilides quidam, qui peccatis multis ſeſe obſtrinxerat, ex Hiſpania Romam profectus, Stephanum Epiſcopum ignarum tentarat fallere, ac hujus commendatione in Epiſcopatum reponi ſtuduerat. Sed Cyprianus hoc ipſum indigno tulit animo, ac, quum Stephanum vocaſſet *collegam* ſuum, addidit, p. 173: *Neque tam culpandus eſt ille, cui negligenter obrepſum eſt, quam hic exſecrandus, qui fraudulenter obrepſit.* Nihilotamen ſecius Cyprianus, qui gubernationem Eccleſiae externam pro forma habebat Ariſtocratica, a ſeſe obtinere haud potuit, ut Epiſcopo

(q) Cap. VI. p. 57. ſq.
(r) Ep. 33. p 66. Ep. 34. p. 68.
(s) Ep. 33. p. 66.
(t) Ep 69. p. 184.
(u) Ep. 69. p. 188. Ep. 73. p. 210.

po Romano praerogativam ordinis negaret. Ipſius mens ex hiſce verbis eſt perſpicua, *Super unum*, inquientis, *aedificat* (x) Chriſtus *Eccleſiam ſuam & quamvis Apoſtolis omnibus parem poteſtatem tribuat & dicat: ſicut miſit me pater & ego mitto vos, accipite Spiritum Sanctum, ſi cui remiſeritis - - tamen unitatem ut manifeſtaret, unitatis ejusdem originem, ab uno incipientem, ſua auctoritate diſpoſuit. Hoc erant utique & ceteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio praediti & honoris & poteſtatis, ſed exordium ab unitate proficiſcitur, ut Eccleſia una* eſſe *monſtretur*. Quem locum Panvinius, Manutius, aliique varie depravare tentaverant. Sed Johannes Fellus, Epiſcopus Ceſtrienſis, omnia egregie reſtituit & extricavit. Intererat videlicet Epiſcoporum, ut hac ratione & auctoritati ſuae & ordini externo, cujus obtentu fidelibus e ſacris litteris jus dicere moliebantur, conſulerent. Romani autem Epiſcopi illud non modo initio largiebantur, ſed adeo etiam ſibi haud oberant, ut potius de Epiſcopatus ſui loco gloriarentur, &, ſeſe Petro ſucceſſiſſe, contenderent, cui fundamenta Eccleſiae univerſae fuerint ſuperſtructa. Quod ipſum candide profitetur Firmilianus (y). Per clavem ſolventem jam ipſe Cyprianus intellexit poteſtatem baptizandi & peccatorum veniam indulgendi. Id tamen largiri noluit, uni ex Epiſcopis hanc poteſtatem magis propriam & vindicandam eſſe, quam alteri. Digna ſunt ipſius verba, quae huc ex Epiſtola ejus 73. adferantur, ſic habentia: *Petro primum Dominus, ſuper quem aedificavit Eccleſiam & inde unitatis originem inſtituit & oſtendit, poteſtatem*

 illam

(x) de *Unitate Eccleſiae*, p. 106. ſq.
(y) Ad Cyprianum, Ep. 75. p. 225.

illam dedit, ut id ſolveretur in coelis, quod ille ſolvis-ſet in terris. Et poſt reſurrectionem quoque ad Apoſtolos loquitur, dicens: ſicut miſit me Pater - - unde intelligimus, nonniſi in Eccleſia Praepoſitis & in Euangelica lege ac Dominica ordinatione fundatis licere baptizare & remiſſionem peccatorum dare.

§. V. In *Conſtitutionibus Apoſtolicis* (z) clavis ſolvens exponitur peraeque, ac a Cypriano, de peccatorum abſolutione, ab Epiſcopis impertita. Ex eodem loco patet, Epiſcopos, in ſignum abſolutionis, hominibus manum impoſuiſſe. Clavis ligans ibidem exponitur de poteſtate, peccatorem ab Eccleſia ſeparandi & ejiciendi. De Epiſcopis enim, qui lapſos in gremium Eccleſiae haud recipiebant, ita differitur (a): Ουχὶ τυραννίδα ἐαυτῶς δεσμεύετε, λέγοντες ἀφιέναι καὶ μὴ ἀφιέντες. Ex ea loquendi conſuetudine, tum recepta, vox λύειν deſignabat idem, ac aliquem reddere liberum a peccatis (b). In *Clementis epiſtola* ſuppoſititia *ad Jacobum* (c) perhibetur Petrus loco ſuo Romanis Epiſcopum impoſuiſſe, eique credidiſſe clavim utramque. Eadem fuerunt repetita in *Clementina epitome de geſtis S. Petri* (d). Catena Romae, quo tempore ignoro, in honorem Petri fuit facta, cujus contactu daemoniaci a diabolo liberarentur. Exemplum ejusmodi commemorat, &, partem catenae Metas transportatam fuiſſe, refert SIGEBERTUS *Levita* (e).

Inven-

(z) L. II. c. 18. p. 228. Tom. I. Cotelerii.
(a) L. II. c. 21. p. 230.
(b) L. II. c. 33. p. 244.
(c) §. 2. p. 606. §. 6. p. 607. Tom. I. Cotelerii.
(d) c. 146. p. 793. Tom. 1. Cotelerii.
(e) In *Vita Theoderici, Epiſcopi Metenſis*, p. 304. ſq. Tom. I. Leibn.

Digitized by

Inventores crediderunt, hunc quoque effectum deberi Petro, clavem ad *ſolvendum* nacto. Originem hujus inventionis adhuc exquirere haud licuit.

§. VI. Quare Epiſcopis clavem ſolventem potiſſimum tribuerint primi Chriſtianae rei doctores & ſtatores, operae pretium eſt indagare. Duas vero rationes, cur ita fecerint, mihi detexiſſe videor. Primum quidem Apoſtolos habuerunt pro Epiſcopis hujus vel illius Eccleſiae, eisque ſucceſſiſſe deinde Epiſcopos exiſtimarunt. Tum autem hierarchiam ſacerdotalem, in V. T. receptam, adhibuerunt loco illuſtrationis vel demonſtrationis, traditurі neceſſitatem ordinis, in Eccleſia obſervandi. Ne quid dixiſſe videar, cui teſtimonia haud reſpondeant, dicta & ſententias Patrum in medium adferam. Petrum Romae exſtitiſſe Epiſcopum, jam Cyprianus credidit. Ipſe enim commemorat (*f*), Cornelium evaſiſſe Romae Epiſcopum, *quum Fabiani locus, id eſt, quum locus Petri & gradus cathedrae ſacerdotalis vacaret.* Rigaltius quidem, *in Notis*, verba illa, *locus Petri*, abeſſe debere, exiſtimat. Sed, quia nullum codicem pro ſeſe adducat, in veteri ac univerſali lectione conquieſcimus. Eumdem Petrum Epiſcopum quoque Antiochiae ad tempus exſtitiſſe, Concilio Romano, quod ſub Papa Damaſo eſt habitum, can. 236. quoque refertur. In collectione Creſconiana ibi haec leguntur: *Tertia ſedes apud Antiochiam, quod illam Petrus, prius quam Romam veniſſet, habitavit.* Prioribus ſaeculis praeterlapſis, invaluit quoque opinio, Petrum Romae ſedem Epiſcopalem tenuiſſe per annos viginti quinque. Sed, qui res, a Petro geſtas, & teſtimonia vetuſtiorum in con-

(*f*) Ep. 55. p. 104.

consilium adhibent, de annis illis XXV. prorsus desperant. In quodam *Fasciculo florum*, Petrum veniisse Romam quarto Claudii anno, commemoratur. In *Passionali de Vitis Sanctorum* referunt, Petrum, anno Claudii imperantis decimo tertio, cathedram conscendisse Romanam. Ad *Acta Lini* etiam nonnulli sese referunt, quae, Petrum ac Paulum diverso & tempore & loco inter cruciatus decessisse, ostendunt. Verum tria haec testimonia, ad chronologiam illam XXV. annorum conservandam, inepta judicat *Jacobus Maria* GRAVINA (*g*) novasque init rationes, credens potius quam evincens, Petrum, e carcere (Act. XII.) liberatum, Romam iivisse ac sedem ibi Episcopalem constituisse. Addit idem, ne simul sententiam novam evertat in ipso ortu, Petrum Romae haud continenter egisse, sed subinde discessisse ac revertisse. Ita XXV. illos annos esse salvos, sibi persuasit. Tantum de PETRO. JACOBUS major vocatur jam olim *Episcoporum princeps* (*h*) & *Archiepiscopus* (*i*). In Concilio Ephesino (*k*) fit mentio *Jacobi Apostoli & Archiepiscopi*. JOANNES inprimis Episcopus Ephesi, ubi diu fuit moratus, exstitisse creditur. TERTULLIANUS (*l*) adposite: *Ordo tamen Episcoporum, ad originem recensus, in Joannem stabit auctorem: sic & ceterarum generositas recognoscitur.* Ex quo testimonio intelligitur, Tertullianum reliquos Apostolos,

(*g*) In *Synopsi Theologiae veterum Patrum*, P. I. p. 56.
(*h*) In *Recognit. Clement.* L. I. §. 68. p. 503.
(*i*) Postea §. penult.
(*k*) P. I. c. 30. Plura testimonia congessit COTELERIUS, in *Bibliotheca Patrum Apostolicorum*, Tom. I. p. 503. Confer. Illustris *Joannis Georgii* PERTSCHII *Kirchenhistorie des ersten saecuii*, p. 181. sqq.
(*l*) L. IV. c. 5. *adversus Marcionem.*

los; ſiquidem in uno loco ei non morabantur nec ſedem capiebant, pro Epiſcopis haud reputaſſe. Ipſe tamen credidit, Epiſcopos primos fuiſſe Apoſtolici ſeminis traduces; quae notio eſt ſatis obſcura minuſque determinata. Ipſe ſic refert (*m*): *Hoc modo Eccleſiae Apoſtolicae cenſus ſuos* (id eſt, ordinem ſuorum Epiſcoporum) *deferunt, ſicut Smyrnaeorum Eccleſia, habens Polycarpum, ab Joanne collocatum refert; ſicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum edit: proinde utique & ceterae exhibent, quos, ab Apoſtolis in Epiſcopatum conſtitutos, Apoſtolici ſeminis traduces* (*) *habeant.* Argumentum quidem elumbe nerviſque deſtitutum deſumitur ex ſucceſſione Epiſcoporum, ad propagatam doctrinae Chriſtianae veritatem inde demonſtrandam. Id tamen infitiari non licet, levi opera rem ita expediri poſſe. Argumentum hoc tantiſper lubet *Theologiae pigrae* adnumerare, cujus fundus eſt longe ampliſſimus. Apoſtolos in id incubuiſſe, ut Epiſcopos conſtituerent, tradit Clemens Romanus (*n*), quamvis non docuerit, Apoſtolos exſtitiſſe Epiſcopos. Succeſſu autem temporis Apoſtolis nomen contigit *Epiſcoporum & Archiepiſcoporum.* Secundo loco mihi eſt oſtendendum, Patres primae Eccleſiae gubernationem Epiſcopalem cum hierarchia Levitica comparaſſe. Ut ab antiquiſſimo ordiar teſtimonio, CLEMENTEM ROMANUM compellabo teſtem (*o*), ita diſſerentem: Τῷ γὰρ Ἀρχιερεῖ λειτουργίαι δεδομέναι ἴδιαί εἰσι καὶ τοῖς ἱερεῦ-

(*m*) de *Praeſcriptione adverſus haereticos*, c. 32.

(*) Apoſtolis ſucceſſiſſe Epiſcopos, IRENAEUS jam docuit, L. III. c. 3.

(*n*) In *Epiſtola ad Corinthios*, §. 44. p. 171. Tom. I. Cotelerii.

(*o*) In *Ep. ad Corinthios*, p. 53. ed. Felli.

ἱερεῦσιν ἴδιος ὁ τόπος προστέτακται καὶ Λευίταις ἴδιαι διακονίαι ἐπίκεινται. Ὁ Λαϊκὸς ἄνθρωπος τοῖς Λαϊκοῖς προσάγμασιν δέδεται. ἕκαστος ὑμῶν, ἀδελφοί, ἐν τῷ ἰδίῳ τάγματι εὐχαριστείτω Θεῷ ἐν ἀγαθῇ συνειδήσει ὑπάρχων, μὴ παρεκβαίνων τὸ ὡρισμένον τῆς λειτουργίας αὐτῷ κανόνα ἐν σεμνότητι. *Summo quippe ſacerdoti ſua munera tributa ſunt: ſacerdotibus etiam locus proprius adſignatus eſt: & Levitis ſua miniſteria incumbunt. Laicus laicis praeceptis conſtringitur. Unuſquiſque veſtrum, fratres, in ſua ordine & ſtatione manens, Deo in bona conſcientia gratias agat, & cum decore intra praeſcriptum miniſterii ſui canonem ſe contineat.* GUILIELMUS BEVEREGIUS (*p*) Clementi ſenſum adfinxit alienum, ratus, ipſum vocaſſe Epiſcopum ἀρχιερέα, Presbyterum ἱερέα & Diaconos Λευίτας. Ipſe ſimul rationes ſuas minus recte ſubducit Beveregius, dum ex hoc Clementis loco colligi poſſe putat, ordines Chriſtianorum doctorum e Synagoga in Eccleſiam ab ipſo Chriſto & Apoſtolis eſſe transſcriptos. Clemens enim docet, ordinem externum in Eccleſia eſſe retinendum, nec eſſe cujusvis, docere aut ſacramentis rite adminiſtrandis vacare. Exemplum, ut, Deo placere ordinem, comprobet, deſumit ex Eccleſia Judaica, in qua peculiaria munera obiërint Sacerdos Summus, Sacerdotes, & Levitae. Illa peculiaria munera, ac ſingularis ille locus, ad templum Hieroſolymitanum ſunt referenda, non ad Synagogam, quaenam enim munia Sacerdoti Summo peculiariter in Synagogis erant obeunda? certe nulla. Obiter noto, eos, qui ſacerdotalis ordinis erant exſortes, vocatos eſſe jam tum *lai-*

(*p*) In *Notis ad Canones Apoſtolicos*, p. 455. Tom. I. Cotelerii.

Digitized by Google

laicos. TERTULLIANUS etiam *laicos* (q) vocavit, qui non erant Episcopi, vel presbyteri, vel diaconi. En verba: *Ubi tres, Ecclesia est, licet laici*. Hierarchiam Leviticam Clemens adduxerat exempli & illustrationis loco. Sed illa est Cypriano perpetua consuetudo, ut crepet Leviticam oeconomiam de sacrificiis, de sacerdotibus, de obsequio, sacerdotibus seu Episcopis praestando. Ex hoc schemate Levitico format & depromit argumenta adversus schismaticos, eosque, qui in dictis Episcopi non illico adquiescere volebant. Christum cum Summo Sacerdote comparat. *Christus*, inquit (r), *arbitrio & nutu ac praesentia sua & praepositos ipsos & Ecclesiam cum praepositis gubernat*. Praepositis & Christo neminem interponit. Episcopos comparat cum sacerdotibus Veteris Testamenti. Ut vero unus sacerdos alteri haud erat subjectus: ita unum praepositum, seu Episcopum, haud obnoxium esse alterius nutui ac jurisdictioni, docet (s) CYPRIANUS. *Cathedram & primatum* reputat pro sede & loco Episcopi cujusque (t); quemadmodum ex illa Episcoporum aequalitate, quam propugnat, facili negotio patescit. Ne tamen ordo ab Ecclesia videretur proscriptus, sedi Romanae praerogativam ordinis concessit, non jurisdictionis, nec dignitatis. Credebat enim, Petrum Romae primum exstitisse Episcopum, & super eum a Christo Ecclesiam fuisse exstructam. Ipse sic differit (u): *Est Spiritus Sanctus unus & una Ecclesia, a Christo Domino*

(q) de *Exhort. castit.* c. 7.
(r) Ep. 66. p. 169.
(s) Ep. 69. p. 188. Ep. 73. p. 219.
(t) Ep. 69. p. 184.
(u) Ep. 70. p. 191.

Digitized by Google

mino ſuper Petrum origine unitatis & ratione (unitatis) *fundata.* Eadem fere alibi quoque pronuntiat, hunc in modum (*x*): *Deus unus eſt, & Chriſtus unus, & una Eccleſia, & cathedra una, ſuper Petrum Domini voce fundata.* Illud tamen diſſimulare non licet, Cyprianum haud ubique congruenter ſyſtemati, ſeu complexui, doctrinarum ſuarum docuiſſe. Quam acutus exſtiterit diſputator, & quantopere argumenta corraſerit potius, quam ſelegerit, vel ex eo patet, quod, unam eſſe Eccleſiam, demonſtrare auſus fuerit (*y*) mirabilem in modum. Nam, ut una Eccleſia crederetur, ratiocinatus fuit & argumenta deduxit ab una Noachi arca, I. Pet. III. 21. ab una columba, Cant. VI. 9. ab uno vivae aquae puteo, Joann. IV. Apoc. XXII. & ab agno paſchali, qui in una domo erat edendus, Exod. XII. 46. Sufficiebat, monuiſſe, unum eſſe corpus Chriſti myſticum, unam ejus ſponſam. Sed quis crediderit, membra hujus corporis ſancti in oculis ſpectantium ſemper verſari, ac ubique ad Ariſtocratiam, Cypriano probatam, eſſe conformata? Chriſtus certe nullam gubernandae Eccleſiae formam externam praeſcripſit, ratus, Regnum ſuum de hoc mundo haud eſſe. Ac ideo non eſt mirandum, ſi Chryſoſtomus Leviticam illam gubernationis formam haud adprobaverit, *Melchiſedeciana* ſeſe oblectans. Ipſe enim, in *Homilia* V. adverſus Judaeos, inter alia ſic diſſerit: Οὗτος ὁ Ἀβραὰμ ὁ προγονὸς τῶν Λευιτῶν, τῶν Ἰουδαικῶν ἱερέων ἀπὸ τοῦ Μελχισεδέκ, ὃς ἦν τύπος τοῦ καθ' ἡμᾶς ἱερωσύνης, λαϊκῆ τάξιν ἐπεῖχε. *Hic Abraham progenitor Levitarum, Judaicorum ſacerdotum, ſub*

(*x*) Ep. 43. p. 83.
(*y*) Ep. 69. p. 181.

ſub Melchiſedeco, qui noſtri ſacerdotii typus erat, laici ordinem ſeu locum obtinuit. Quo quiſque potius doctrinarum complexu gaviſus fuit de gubernandae Eccleſiae forma, eo majorem vel minorem poteſtatem remittendi & retinendi peccata Epiſcopis Romanis ceteriſque tribuit. Flavius Liutprandus, Rex Langobardorum, ſaeculo jam ſeptimo, in tabula donationis, Arretinis datae, inter alia B. Petrum memorat, *cui Dominus ligandi ſolvendique poteſtatem in coelo & terra tribuerit:* ac per eum adjurat Senenſis Eccleſiae Epiſcopum Adeodatum (*z*). MAXIMUS, in Homilia (*a*) quadam, magnifice de Petro ſenſit, hunc maxime in modum: *Clavis coeli lingua eſt Petri, quia ſingulorum merita cenſendo Apoſtolus unicuique Regnum coelorum aut claudit aut aperit. Non eſt ergo clavis iſta mortalis apta manui, ſed data a Chriſto poteſtas eſt judicandi.* Quidquid igitur jurisdictionis Pontifices Romani ſenſim ſibi compararunt, illud per *clavem*, Petro commiſſam, voluere intelligi. OPTATUS contra Parmenianum, L. VII. *Petrus praeferri omnibus Apoſtolis meruit & claves Regni coelorum, ceteris communicandas, ſolus accepit* (*b*). Pontifices itaque Romani nullum invenire potuerunt ſignum, quo magis adpoſite faſtigium auctoritatis ſuae, quam a Petro derivant, poſſint deſigna-

(*z*) ORLENDIUS, P. II. *Orbis ſacri & profani*, Vol. II. L. III. c. 42. §. 17. p 1396.

(*a*) In *Natali beatiſſimorum Petri & Pauli Apoſtolorum*, in Tom. V. Biblioth. Patr. p. 32. ed. Colon. 1618.

(*b*) PETITDIDIERUS, c. VI. p. 61. ſqq. Plura teſtimonia congeſſit JACOBUS HYACINTHUS SERRY, in *libro de Romano Pontifice, in ferendo de fide moribuſque judicio, falli & fallere neſcio*, c. III. p. 21. ſqq. Patavii, 1732. 8.

re, quam memorabilem illam clavem. In ſigillis Alexandri II. & Victoris II. plumbeis poſtica pars Petri, accipientis clavem, occurrit cum (c) epigraphe: *Quod nectis, nectam, quod ſolvis, Petre, reſolvam.* Qui verſiculus eſt Chriſto adtributus, Petro clavem tradenti. De cetero, librum illum ſeptimum, qui adverſus Parmenianum fuit ſcriptus, opus eſſe illi Optato ſuppoſitum (d), facile poteſt comprobari.

VII. Tantam, per clavis ſolventis & ligantis ſymbola, alii ſignificare noluerunt poteſtatem. Ei, qui miniſtris Eccleſiae & presbyteris auctoritatem nullam tribuunt, ad ſolos Apoſtolos hanc clavem pertinuiſſe arbitrantur. Alii inducti fuerunt ad idem ſentiendum ex adfinitate ſignificatus, qui alibi vocibus, queis *ligatio* & *ſolutio* deſignatur, ſolet adtribui: licet ipſi & doctores Eccleſiae & eorum munera magni faciant. In Codice Miſchnico *ligare* & *ſolvere* perhibentur ei, qui res alias pronuntiant licitas, alias vero minus licitas & ab uſu disjungendas. *Solvere* eſt התיר; *ligare* autem אסר. Unde doctores Judaeorum rem prohibitam vocant *ligatam*, אסור, licitam vero, ſolutam מותר. ELIAS, in Tisbi, p. 26. b. אסור והתר זהכנגד זה כל דבר שישבו צון ועונש לצשותו נקרא אסור וכשאין בו צון נקרא מותר: *Vocabula Aſur & Hatter ſibi invicem opponuntur. Quidquid peccatum eſt, poenamque, ſi perpetretur, trahit, id dicitur* אסור; *quod autem peccati expers habetur, id vocant Mutar.* Hunc ſigni-

(c) *Joannes Fridericus* SCHANNAT, in *Vindiciis quorundam Archivi Fuldenſis diplomatum*, p. 39. ac Tab. II.
(d) *Guilielmus* CAVE, in *Hiſt. litterar. ſcriptorum Eccleſiaſtic.* p. 148. ſq.

ſignificatum in verbis Chriſti, quibus jam vacamus, ſeſe invenire ſibi viſi ſunt JOANNES DALLAEUS (*e*), JOANNES SELDENUS (*f*), FRANCISCUS BURMANNUS (*g*), JOANNES LIGHTFOOTUS (*h*), CAMPEGIUS VITRINGA ſenior (*i*), JACOBUS BASNAGE (*k*), JOANNES CAMERO (*l*), JOANNES MORINUS (*m*), Ven. JOACHIMUS LANGIUS (*n*), & Illuſtris JOANNES GEORGIUS PERTSCHIUS (*o*), ac quotquot eorum veſtigia ſequuntur. Quam vellem, eos, qui ſic ſtatuunt, conferre dignentur praeſtantiſſimi SEBASTIANI SCHMIDII diſſertationem, quam de *Clavibus Eccleſiae*, ad Matth. XVI. 19. conſcripſit, ac Argentorati 1667. 4. edidit. Dum enim Schmidius in eo eſt, ut Lightfooti ſententiam removeat, ipſe ex Miſchnico Codice ac Judaeorum ſcriptis oſtendit, *actum ſolvendi* penes eos per translationem vocis deſignare *remiſſionem peccatorum* (*p*),

(*e*) de *Sacramentali ſive Auriculari Latinorum confeſſione*, p. 25. Genevae 1661. 4.

(*f*) de *Synedrio Ebraeorum*, L. I. c. 9. L. II. c. 7.

(*g*) In *Exercit. Academ. Part.* II. *diſſ. de Miniſt. nov. Teſt. extraord.* II. & *Diſſ.* VI. *de Apoſt.*

(*h*) In *Horis Hebraicis*, *ad* Matth. XVI. 19. *Joan. Chriſtopherus* WAGENSEILIUS, in *Notis ad Miſchn. Codicem Sota*, c. I. p. 13. Altdorfi Noricorum, 1674. 4.

(*i*) de *Synagoga vetere*, L. III. Part. I. c. 10.

(*k*) *Hiſtoire des Juifs*, Tom. VI. c. 5. §. 15.

(*l*) In *Myrothecio Euangelico*, ad h. l.

(*m*) In *Admin. ſacram. poenitent.* L. I. c. 8. L. IV. c. 23. ſq.

(*n*) In *Antibarbaro Orthodox.* P. I. Tom. II. ſect. 2. c. 2.

(*o*) In *Verſuch einer Kirchen-Hiſtorie*, ſaec. I. p. 475. ſeu c. XVI. §. 4.

(*p*) §. 14. p. 22.

eosdemque Judaeos per *ligationem* denotaſſe excluſionem ab Eccleſiae conſortio. Ex ſola igitur loquendi formula, quae eſt impropria & tranſlata, nihil certi poterit exſculpi. Circumſpiciendum eſt potius, quid indoles Eccleſiae, a Chriſto inſtitutae, ac regni gratiae ferat, ac quid totus orationis complexus ac loca, ad eamdem argumenti rationem ſpectantia, admittant. Conferatur in primis Ven. PFAFFIUS, de *Origine juris Eccleſiaſtici*, p. 20. ſq.

§. VIII. Eos enim JOSEPHUS (*q*) dixit λύειν καὶ δεῖν, *ſolvere & vincire*, qui omnia moderantur. Et quis ignorat, per *clavem* deſignari excellentem poteſtatem, Exod. XXII. 22. Apoc. I. 18. III. 7. IX. 1? (*r*) Recordamur vero ſtatim, jurisdictionem a Chriſto nullam tribui Apoſtolis & Eccleſiae doctoribus Apoſtoli virtute extraordinaria, ipſis conceſſa, corpora protervorum tradiderunt Satanae, ita tamen ut animam ſervare conſtitutum haberent. Quo facto, morbi ingruebant & immorigeri temeritatis dabant poenas (*s*), reſipiſcentem & admonitionum piarum patientem ſocietas Eccleſiaſtica recipiebat, vel ejus nomine is, qui eam ex pacto gubernabat. Nonnullis, a diabolo male habitis & miſere adflictis, auxilio erant & Chriſtus & Apoſtoli, & ipſi etiam, quos Spiritus Sanctus peculiari ſanandi chariſmate inſtruxerant. Prius opus vocabant *ligationem*; poſterius *ſolutionem*. (*t*). Inter

(*q*) de *Bello Judaico*, L. I. c. 5. §. 2.
(*r*) SELDENUS, l. c. L. I. c. 2. p. 188. edit. Lipſ.
(*s*) I. Cor. V. 1. 2. Act. V. 5. 10. XIII. 11. II. Cor. X. 7. XIII. 2. 10.
(*t*) Matth. XII. 29. Luc. XIII. 16. Conf. PINDARUM, *Pythiorum* Od. III. v. 84. ſqq. ubi idem vocis λυειν ſignificatus occurrit.

ter ſimulacrorum cultores, quos vocant ethnicos, eminebant nonnulli, qui carminibus, muſſitationibus, ſuffimentis & caerimoniarum effectione improbos ſpiritus a ſeſe *ſolvi* ac *ligari* poſſe contenderent. De *ligationibus* hiſce varia leguntur in *Fragmento libri Enoch*, apud Joſephum Scaligerum & B. Joannem Albertum Fabricium (*u*) & HESYCHIUM (*x*), ac PETRONIUM ARBITRUM (*y*) aliosque. Hic ſignificatus nonnullis tanti fuit viſus, ut Chriſtum arbitrentur Apoſtolis per clavem ſolventem & ligantem impertiiſſe vim extraordinariam ac miraculi plenam, qua bonis ſuccurrere, ac improbos, immiſſo daemone exitiabili, coërcere valuerint. Nominatim hanc ſententiam pro ſua reputarunt GOTHOFREDUS OLEARIUS (*z*) & JOANNES CLERICUS, (*a*) qui ante dimidium annum vitam ſuam, & diuturnam & doctam, Amſtelodami finivit. At quomodo haec ad aedificium & clavem quadrabunt?

§. IX. Liceat nobis rem ab ovo ordiri atque ita agere, tanquam nulla a quoquam tentata eſſet expoſitio. Inprimis notatu dignum videtur, quod Chriſtus Eccleſiam ſuam cum firmiſſimo aedificio (*) comparaverit, quod

(*u*) In *Codice Pſeudepigrapho* V. T. p. 179. ſq.

(*x*) Sub voce Εφεσια γραμματα.

(*y*) In *Satyrico*, p. m. 201. confer Commentarium Gabbemae.

(*z*) In *Obſ.* LV. *ad Matthaeum*, §. 6. ſq.

(*a*) In *Notis*, *ad* Matth. XVIII. 18. *verſionis ſuae Gallicae* N. T.

(*) IGNATIUS pariter Chriſtianos adpellat λίθους ναοῦ πατρὸς & ναοφόρους, in *Ep. ad Epheſios*, §. 9. p. 14. Tom. II. Cotelerii. Nec non *ad Magneſianos* haec habet, §. 7. p. 19. Πάντες ὡς εἷς ἶτε πρὸς συντρίχειν Θεοῦ . .

I. Inaedificatum eſt petrae immutabili, fidei quippe, in filium Dei viventis defixae:

II. Quod a nulla vi creatarum rerum poſſit deſtrui vel labefactari:

III. Ad quod clavis eſt accommodata, tradita tum Apoſtolis, tum Eccleſiae ipſi:

IV. Clavis illa eſt ejusmodi, ut interventu ejus & ligare & ſolvere liceat:

V. Chriſtus ipſe eſt fundamentum, lapis fundamenti, & petra, lapis quatuor angulos conſtringens, ne aedificium dilabatur vel corruat:

VI. Fideles vero ſunt lapides vivi:

VII. Apoſtoli, ratione doctrinae, praebent fundamentum, cui tota aedificii compages innititur.

§. X. Comparavit Chriſtus Eccleſiam Chriſtianam cum templo Hieroſolymitano, quod vel ex Apoc. XXI. pateſcit. Aedificium Oeconomiae Judaicae diſſolutum, aedes vero Hieroſolymitana a Romanis fuit deſtructa. Chriſtianae Oeconomiae aedificium firmius eſſe perhibetur, quippe quod nulla vis labefactare vel devincere valebit. Coronae ſponſarum penes Judaeos repraeſentabant *civitatem auream*, *Hieroſolymam*, *aureo fulgore nitentem*, זיר של זהב, confectam ex ſale foſſili, vel lapide potius ſpeculari, ac ſulphure ſeu colore ſulphuréo (*b*). Confer. Apoc. XXI. 2. Orto autem ſub Veſpaſianis bello Judaico, coronae ſponſorum & tympana, immo coronae ſponſarum, ſunt abrogatae (*c*). Coronae in poſterum, ut indicaretur luctus

(*b*) J. C. WAGENSEIL, ad *Sota*, p. 963.
(*c*) *Sota*, IX. 14.

Digitized by Goog

ctus & humilitas, ex canna paluſtri & junco tantum plexae fuerunt. Chriſtianorum ornatus & firmamentum eſt myſtica illa Hieroſolyma, ἡ ἄνω Ἱερουσαλὴμ. Gal. IV. 26. Ἱερουσαλὴμ ἐπουράνιος, Ebr. XII. 22. Multa Judaei de hac ſuperiori & coeleſti Hieroſolyma commentati fuerunt, quae Cl. CHRISTIANUS SCHOETTGENIUS operoſe & docte congeſſit atque expoſuit (*d*). Hieroſolymam, quae in terris erat & quam Titus Veſpaſianus exſcidit atque ſolo aequavit, in petroſo firmoque loco fuiſſe poſitam, auctor eſt STRABO, L. XVI. p. 762. Templum vero inprimis petrae erat ſuperſtructum ac longe munitiſſimum (*e*). Delinearunt ejus figuram JOANNES SELDENUS, in libro de *Jure Naturae & Gentium*, *juxta diſciplinam Ebraeorum*, JACOBUS JEHUDAH LEO (*f*), cujus libros IV. de templo Hieroſolymitano, juſſu Sereniſſimi Ducis Auguſti, ex Ebraeo in Latinum convertit Joannes Saubertus, ac alii. R. Jehudah hic ſcripſit librum Hiſpanice, MDCXLII. ac deinde elaboratum Ebraice, Amſtelodami MDCL. apud Levi Marcum, ſub titulo תבנית היכל, in publicam lucem emiſit. Denuo hunc librum Latine vertit Vir Ven. *Joannes Chriſtophorus* WOLFIUS, ac Volumini III. *Bibliothecae Ebraicae* inſeruit, p. 460. ſqq. Nec omittendus eſt CONTSANTINUS L'EMPEREUR, qui, in peculiari, *de Menſuris templi*, libro, templi ipſius figuram edidit. Idem tentarunt EDUARDUS LEIGH,

(*d*) In *Diſſ. de Hieroſolyma Coeleſti*, quae eſt quinta ſubjunctarum *Horis Hebraicis & Talmudicis*, p. 1205. ſqq.

(*e*) TACITUS, *Hiſt.* V. 12.

(*f*) Aliàs *Arieh* dictus.

qui ſingularem de eo emiſit librum, in forma maxima, ac celeberrimus Judaeus, R. JOM TOF, ex familia Wallerſteinii oriundus, qui, quum commentariis libros Miſchnicos ad unum omnes illuſtravit, librum quoque Miſchnicum, qui de templi menſuris agit, eleganter explicavit, addita templi delineatione, in aes inciſa. Non dubito, quin hic Judaeus ceteris Scriptoribus in hac cauſſa palmam praeripuerit, certe reddiderit dubiam. Ipſum templum in monte Moria fuit ſitum, qui mons muro erat circumdatus. Templum innitebatur muris aliis, montis altitudinem aequantibus, fornicibus concavis ac contignatis & in arcum flexis porticibus, quibus immunditiem arcebant. Monti illi erant quinque portae, una ab occidente, una ab oriente, una ab aquilone, ac ab auſtro duae, quarum ſingulis januae erant inſitae (*g*). Lapides murorum illorum candidos fuiſſe, inſtar nivis, & admirandae magnitudinis, praecipue in templo ſecundo, per quos torrens Kedron tranſierit, docet J. Jehudah Leo (*b*). Idem dictitat, altitudinem murorum exſtitiſſe tantam, ut is, qui ſtaret in porticibus, non potuerit in vallem inferiorem deſpicere, quin caligine oculi ejus hebetarentur (*i*). Ad hunc torrentis Kedronis tranſitum Joannes adluſit, in *Apocalypſi*, c. XXII. 1. 2, quam nemo dare valet explicatam, niſi qui antiquitatum Judaicarum ſit longe peritiſſimus. Rivus enim Kedron infra & circa muros templi, ripis ſuis coërcitus, ad Orientem emanavit, progreſſusque verſus deſerta, queis nomen erat Jeruel, ſeſe in mare

(*g*) MAIMONIDES, de *Domo electa*, V. 1. 2.
(*b*) de *Templo* L. II. c. 1.
(*i*) L. I. c. 6. p. 6. JOSEPHUS, de Bello Jud. LVI. 6.

Digitized by Google

mare Sodomiticum effudit. Subter montis Moriae planitie porro petrae, alia ſuper aliam, artis interventu erant factae, quibus ipſum templum erat tanquam fundamento ſuperſtructum. Cum hoc monte firmiſſimo (*k*) eique impoſito templo Jeſus Eccleſiam ſuam in comparationem adduxit hinc inde, e. g. Matth. V. 14. VII. 24. 25. I. Tim III. 15. Eph. II. 20. 21. 22. III. 17. 18. I. Pet. II. 5. I. Cor. VIII. 11. XIV. 4. 12. Eſ. II. 1—6.

§. XI. Templum Judaeorum fuit igni exuſtum & ſolo aequatum. Judaei vires ſuas omnes omnesque nervos exhauſerunt, ut Romanos repellerent temploque ferrent ſuppetias. Verum ſpes antecapta eventu triſti fuit penſata, templumque in ruinas ſubſedit. Praevaluerunt enim illi portae inferorum. Portae urbium in Judaea erant multo munitiſſimae. Juxta eas hoſtes, urbem expugnaturi, caſtra ponere ſolebant (*l*). Portis captis, vel in deditionem acceptis, urbs ipſa ditioni alienae cedebat. Sub portis agitabantur inter gentes Orientis judicia, ſiquidem juxta illas ſub dio, ut Romae in campo Martio, erant loca ſatis patentia, ſeu fora (*m*). Huc commeabant litigaturi, eminus & cominus profecti. (*n*) Ejusmodi judicia duo, ex XXIII. viris compoſitum pro ſe quodque, erant Hieroſolymis, alterum in portu atrii, alterum in porta montis. Haeremus itaque in dubitatione & fluctuamur, quo fine heic de portis inferorum praevalentibus comparatio fuerit deſumta. Utrum de firmitate & munimento eorum, an de judicio quodam decretorio diſſeruit Chriſtus? Portae

(*k*) Vocatur ipſe הר הבית ὄρος τοῦ ἱεροῦ, I. Macc. XIII. 53.
(*l*) Eſ. XXII. 7. II. Sam. X. 8. Gen. XXII. 7. XXIV. 60. Deut. XXVIII. 57. Jud. V. 8. XVI. 3.
(*m*) II. Reg. VII. 18. Neh. VIII. 1.
(*n*) Deut. VI. 18. XXV. 27. Amos V. 27. Pſ. CXXVII. 5.

tae ipſae ſunt immobiles, ac pugnis inter ſeſe haud concurrunt. Portas pro urbe, urbem pro incolis, capere & intelligere, inſolitum eſt & rei ipſi inconveniens. Per ᾅδην exiſtimo deſignari conditionem animae, quum corpus, quocum fuit juncta, morti ceſſit. Veteres in ea erant haereſi, animam ejusmodi ſubter terram adſervari & exſiſtere. Quare, ad inferos deſignaturi iter, *deſcenſum* (*) commemorabant. In locis illis inferis ſeu ſubterraneis morari manes, Angelos improbos ac ipſum orci praeſidem, vetus erat perſuaſio. Ἀΐδην adpellabant & praeſidem illum, cui poteſtas in mortem ſolebat adtribui, & locum ipſum. HOMERUS *Iliad.* Υ. v. 74.

Ἀλλ' ἄυτως ἀλάλημαι ἀν' Ἐυρυπυλὲς Ἀΐδαο δῶ.

Sed fruſtra erro per domum Ditis, latas habentem portas.

In *Odyſſeae* Ξ. *portae Ditis*, Ἀΐδαο πύλαι, aeque occurrunt. HOMERUS τῷ ᾅδῃ, tanquam domui, portas & claves tribuit (σ). Unde Graeci finxerunt Plutonem clavigerum, qui inferorum receptacula ita concludat, ut nefas ſit, inde redire quemquam (ρ), Ἅδην κεκλεῖσθαι ὑπὸ τῷ Πλουτῶνι, ὡς ἐπ' οὐδενὶ ἀφίξεται αὖθις ἐξ αὐτοῦ. Eidem finxerunt, ad Taenarum in Laconica oſtium eſſe, quo ad inferos deſcendatur, APOLLODORO, L. II. p. 231. ac OVIDIO, in *Metamorph.* X. 13. teſtibus. De-

(*) Prov. XV. 24. Eccl. III. 21. PINDARUS, *Pyth.* Od. III. v. 13. ſqq.

(σ) JO. MARSHAM, in *Canone Chron.* ad ſaec. XI. §. 3. p. 274. ſq.

(ρ) PAUSANIAS, L. V. p. 325.

Digitized by Google

Deſcendiſſe per hoc oſtium ad inferos Orpheum & Herculem, tum eidem, tum alii memoriae prodiderunt. In hoc loco vel domo improbi poenas luere credebantur. DIOGENES *Laërtius*, (q) Pythagoram docuiſſe, tradit, ὅσα ἡ ψυχὴ ἐν τῷ ἅδῃ ἔπαθε, *quaenam anima apud inferos perpeſſa fuerit.* Apud AESCHYLUM *Prometheus vinctus* idem ſignificat, qui ſic locutus inducitur (r):

Εἰ γὰρ μ' ὑπὸ γῆν, νέρθεν τ' ἀΐδα
Τῷ νεκροδείγμονι εἰς ἀπέραντον
Τάρταρον ἦκεν, δεσμοῖς ἀλύτοις
Ἀγρίως πελάσας, ὡς μήτε θεὸς,
Μήτε τις ἄλλος τοῖς δ' ἐπεγήθει.
Νῦν δ' ἀιθέριον κίνυγμ' ὁ τάλας
Ἐχθροῖς ἐπίχαρμα πέπονθα.

Etenim ſub terram, ſubter Ditem
Mortuorum receptatorem, in immenſum
Tartarum venit, in vinculis indiſſolubilibus
Agreſtem in modum me conſpectui praebens, ita
ut nec Deus
Nec quiſquam alius de his laetaretur.
Nunc vero, aetheria tamquam umbra, miſer
Ea, quibus inimici laetantur, perpetior.

THEOCRITUS, in *Idyll.* II. quod inſcribitur *Pharmaceutria*, v. 153. ſq. inferos repraeſentat in modum domus, cujus *portam* mortui pulſent. Quae ſingula ſi cogitate ad cynoſuram ac lancem rationis revocavero, tum mihi videtur certum, *domum infero-*

(q) In *Vita Pythagorae*, p. 221.
(r) Pag. 14. edit. Paris. 1557. 4.

ferorum, veluti Rempublicam, Chriſtianae Eccleſiae aemulam ac hoſtem, a Chriſto exhiberi conſpiciendam. Norunt Chriſtiani, Satanam, cum adſectatoribus & potentia ſua quantacunque, infeſtum eſſe Eccleſiae Chriſti, & huic exitium moliri ruinaſque machinari. Ipſe pugnat, validas ſuorum vires periclitatur, accuſat, inſidiatur, invadit, arietem admovet, praedam ſpirat inſtar lupi, ovile circumeuntis. At a parte fidelium heros ſtat potentior. Inferi autem infirmiores ſunt, quam ut Chriſto repugnare poſſint. Πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς. Munimenta ac *portae inferorum erunt infirmiora ac minus valida, quam Chriſti Eccleſia*, petrae quippe inaedificata. Victoriam reportant Chriſtiani, adjuti a ſuo victore Chriſto. Templum Judaeorum Satanas per mutuas inimicitias, bellorum acerbitates, ac vim Romanorum disjecit, evertit, ac excidio involvit. At Chriſtiani ſuſcepti ſunt ad Regnum (*s*) immobile: ipſi repraeſentant & conſtituunt Eccleſiam, quam nec Satanas nec vultus inſtantis tyranni, nec ignis, nec ferrum, nec primores & ſummates, nec inferorum (*t*) cohortes fundamento quatiunt ſolido ac inconcuſſo. Nam fundamentum illud, & firmum & a Deo poſitum, conſiſtit, nec dimoveri poteſt, II. Tim. II. 9. Caſtra movet Satanas per ſe & ſibi ſubjectos, impreſſionesque facit non unas in Chriſti Regnum, Apoc. XII. 7. At ipſe eſt invalidus, vincitur, & in ignominiam convertitur, v. 8. 9. 10. Luc. XI. 22. ſiquidem per promulgationem Euangelii, ab Apoſtolis ſparſi, ſpiritus malignus ab inſigni potentiae ſuae gradu

(*s*) Ebr: XII. 26. 27. 28.
(*t*) Rom. VIII. 37. 38. 39.

Digitized b

gradu praeter ipſius opinionem depulſus fuit ac deturbatus, Luc. X. 18. 19. 20. Quod ipſum praecipitationis malum, quod Satanae inde ab Apoſtolorum temporibus a pia Chriſtianorum ſocietate infligitur, comparari ſolet cum infamia illa, quam Satanas ſibi contraxit, quum ex coetu Dei glorioſo, ac obedientiam conditori exhibente, dejectus ac in miſeriam praeceps datus eſt. Sunt quidem nonnulli, qui ſocietati cuidam externae, quae partem Chriſtianorum explet, ſplendorem & munimentum illud, quod pios ab inſultibus Satanae liberat & defendit, transſcribunt. Sed hi erunt fere, qui, expertes hiſtoriae Eccleſiaſticae, nihil rectum & encomio Eccleſiae dignum, niſi quod ipſorum familiae in ſenſus incurrenti ac coetui admodum conſpicuo conveniat, putabunt. Hi, ſi didicerint, Eccleſias particulares periiſſe permultas ac ex albo Chriſti, fuiſſe deletas, non admirabuntur, Chriſtum eis, qui adminiculis gratiae ad pravas ſuas libidines alendas abutuntur, oppoſuiſſe minas, dicitantem, ſeſe candelabrum (*w*) ac lucem verbi ſui ſaluberrimi eſſe amoturum. Quare de Eccleſia Chriſti univerſali, cujus conſortes ipſe novit Servator, & quae vere pios & fideles complectitur, capiendum (*x*) eſt illud Dei promiſſum, quo ſancivit, ne ullae inferorum portae eam penitus in ruinam involvant, vel exitio mactent extremo. Hi exclamant (*y*) laeti: Deo agimus gratias, victoriam nobis impertito per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

§. XII. Quis igitur amplius de eo fluctuabitur ac

(*w*) Apoc. II. 5.

(*x*) *Joann. Georg.* PERTSCH, in dem *Verſuch einer Kirchen Hiſtorie*, ſaec. I. c. VIII. §. 5. p. 129.

(*y*) I. Cor. XV. 57. I. Joann. V. 5.

ac dubius erit animi, Eccleſiam veram, puram, & ſanctam, ex variis gentibus collectam, nulla ſpirituum improborum vi, nullis ipſorum inſultibus, expugnari ac funditus deleri poſſe? Ipſa in eo momento etiam cum aedificio firmiſſimo ac templo Hieroſolymitano confertur, quod adpellatur *Regnum coeli*, hoc eſt, *Regnum Dei*, domicilium gratiae divinae, quod Chriſtus, Rex ſanctiſſimus, gubernat. Dominus domicilii ac paterfamilias, pro arbitratu ſuo ac ſapientia, de domo ejuſque rationibus conſilia init, conſtituit, ac in effectum deducit. Jeſus *claves* aedificii hujus divini tenet, eaſque committit ac credit, cuicunque voluerit. Quare ipſe eſt templi domuſque hujus dominus ſummuſque herus, filiusfamilias potentiſſimus aeque ac fideliſſimus. Ebr. III. 1—6. Mal. III. 1. Joann. II. 16. 17. Ubi claves adhibentur, ibi oſtia exſiſtunt. Domus gratiae divinae, templum & Eccleſia novae diſpoſitionis, clavibus eſt inſtructa. Oſtia igitur ei nequeunt denegari. Mons templi Hieroſolymitani ac aedes ipſa ſacroſancta januis abundarunt ac aditibus. Oſtium Euangelii aperitur, ſi verbo divino ac fructibus, inde exortis, aditus locuſque conceditur (z). Qui Oeconomiae ſalutis congruenter vivit, illi patet uſus ac fructus gratiae divinae, ac per eam coelum ipſum, glorioſiſſima Dei ſedes, Regnumque beatitudinis ſummae ſempiternum aperitur. At niſi animum, tanquam domum, Jeſu, introitum paranti, ac illam per adminicula gratiae ambienti, aperueris; oſtium Regni, gratiae gloriaeque pleni, tibi haud patebit, excluſus manebis, tenebriſque ob-

(z) Act. XIV. 27. I. Cor. XVI. 9. II. Cor. II. 12. Col. IV. 3.

obruendus es atrociſſimis (*a*). Dies tandem ille noviſſimus, qui judicii extremi ſententiam patefaciet, judicio novo locum haud facit. *Ultimum* enim dicitur illud, quod ſucceſſione nulla recentiori excipitur. Ei, qui a ſponſo diuturnam & minus determinatam gratiae continuationem, oſtio gratiae ſemel clauſo, exſpectant, & ſeſe & alios miſere fruſtrantur (*b*). Filius Dei interpoſuit pretium redemtionis & miſericordiam ſuam, ne periremus aeternum. Addidit ipſe conditionem foederis, a nobis explendam, ſi miſericordiam ejus ſentire fructuſque exinde percipere ſtudeamus. Pro ſingulis mortem perpeſſus eſt Servator. Ei vero aeternum ſervantur, qui Chriſto ſeſe, per malefactorum omiſſionem ac jugi, a Chriſto imponendi, ſuſceptionem, adgregant. Jugum illud ſuaviſſimum ab eis recipitur, qui regenerantur ex Deo, per fidem vivam, fructusque fidei proferunt. Fructuum fidei ea eſt indoles, ut vita Chriſti puriſſima ſit imitanda, ac vetus homo, innata noſtra & effrenata cupiditas, ſit exuendus crucique adfigendus. Qui hanc Euangelii Oeconomiam exprimunt re ipſa, ingreſſi ſunt in domum patris, in templum Chriſti, ac domicilium Dei. Chriſtus in eis exſiſtit per effectus gratiae ſuae ac modo peculiari, ſibique cum patre in animis ipſorum habitacula parat; Spiritus Sanctus in eis lucet ac vicem ſeptem lampadum ſuſtinet; ſuffimenta ſunt preces; effectio voluntatis Dei eſt ipſorum cibus & panis; ſacrificia & ferta ſunt corpora piorum ac animi; ſanguis Chriſti, pura fide exceptus, expiat juſtiſſimum Patrem, qui in reconciliatis

(*a*) Apoc. III. 20. XXII. 13.
(*b*) Matth. XXV. 10. 11. 12.

tis inſtruit templum, in quo habitet ac inambulet; ſeu verſetur. Haec eſt illa Deo probata ac nova Hieroſolyma.

§. XIII. Adminiſtros Rex Summus ſub foedere Moſaico delegerat Sacerdotes ac Levitas. Ut ordo Sacerdotum curatius innoteſceret, primum tenuit locum Sacerdos Supremus. Proximus ei erat Vicarius, quem vocabant *Sagan*, qui Sacerdoti Summo, vel immundato vel mortuo, ſurrogabatur, ac reliquis ſacerdotibus cunctis imperare poterat. Sacerdos Summus novi foederis eſt ipſe Chriſtus, cui vicario opus haud eſt, ſiquidem ipſe nec immundatur, nec amplius moritur, ſed virtutem ſuam ubique oſtendit, ac ſcientiam ſuam quaquaverſum diffundit. Vicarium excipiebant penes Ebraeos duo Theſaurarii, ſive *Catholici*, qui vicario, ſeu Sagani, operam porro praeſtabant vicariam (*c*). Catholicos illos ſequebantur ſeptem *Camerarii*, quibus *cura clavium* erat demandata. Portae templi erant ſeptem. Quare ſingulis ſingulae credebantur claves (*d*). Unus vero eſt aditus ad Regnum gratiae, unum baptisma, una Chriſto innixa fides, unum coelum, una ad gloriam via. Eam ob cauſſam Chriſtus quidem plures Apoſtolis demandavit claves (*e*), ob modum haud unum, quo homines a pravitatibus abduci ac ad gratiam Dei deduci poſſunt; ipſe vero unicam illam Davidis clavem tenet & poſſidet, Apoc. III. 7. qua pro arbitratu claudit ac aperit. Uſus clavis eſt duplex. Ejus enim interventu aditum aliis vel patefacimus in conclave ac domum, vel denegamus & reclu-

(*c*) MAIMONIDES, de *Vaſis Sanctis*, c. 4.
(*d*) MAIMONIDES, l. c. KIMCHI, ad II. Reg. II. 12.
(*e*) Matth. XVI. 19. XVIII. 18.

dimus. Patet eis Hieroſolyma myſtica & templum gratiae, qui ordinem gratiae divinae per poenitentiam, fidem, & vitam piam ſuſcipiunt. Aditus ac janua eis haud patet, qui ſordibus peccatorum delectantur ac projectae ad malefacta ſunt audaciae. Oſtium enim ſalutis verae & ſempiternae nonniſi eis patefit, qui oeconomiam Chriſti faciunt ſuam, regnoque tenebrarum renuntiant.

§. XIV. Clavibus veteres ligare & ſolvere feras conſueverant. Quid igitur eſt mirum, ſi optimus Servator, ad delineandum novi foederis Eccleſiam templumque myſticum, januas & januarum retinacula commemorat? Quod autem ligationis ac ſolutionis modum plerique extra hujus comparationis complexum & vincula exquirere ſtuduerint, ad alia quaecunque dilapſi; hoc ex ea cauſſa eveniſſe judico, quae nemini non erit perſpicua, ſimulac eam in medium protulero. Sumus eo animo plerique adfecti, ſumus ita comparati & facti, ut inſtituta veterum ſecundum eas cogitationes animo informemus ac expendamus, quas ex ritibus, aetate noſtra tritis ac ſuſceptis, ſumus nacti. Quis enim non ſtupet, audiens, clavibus feras ſeu retinacula januarum potuiſſe ligari & muniri? reſerari & aperiri? Sed veteres vinculis adſtrinxerunt januas, quae ligarunt, ut clauderent; reſolverunt, ut aperirent. Serae veterum non diſcreparunt a repagulis, obicibus, & vinculis. FESTUS, de *Verborum ſignificatione*, p. 341. *Obices, peſſuli, ſerae.* NONIUS MARCELLUS (*f*): *Patibulum eſt ſera, qua oſtia obcludunter, quod, hac remota, valvae pateant.* Clavis,

(*f*) Cap. IV. p. 691. Conf. PLINIUS, Hiſt. Nat. XXXIII. 1.

Homero ac veteribus cognita, fuit idem ac κλεῖθρον quoddam, gemina habens lora dependentia, unum ad dextram, alterum ad ſiniſtram, ex quibusdam foraminibus, ad januam aperiendam & claudendam (*). Egregie haec monſtravit & ediſſeruit vir ſumme reverendus, doctrina & diligentia praeſtantiſſimus, immortaliter de hiſtoria litteraria & omni eruditione meritus, JACOBUS FRIDERICUS REIMMANNUS (g), cujus me heic veſtigia legere & repetere grato animo profiteor. Ipſe in tabula, aeri inciſa, libro praefixa, κλεῖθρον illud ac feram optime expreſſit. Tanti erat, haec a viro optimo pulcre fuiſſe expoſita & delineata! Utinam hic vir me non coëgiſſet, ab aliis impulſus, ut ad cauſſam mihi intentatam reſpondere debuiſſem! Sed rediimus in gratiam & fervorem qualemcunque, utrimque admiſſum, ſilentio ſepelivimus ſempiterno. Memoria ejus certe mihi ſemper erit grata & venerabilis, quam nulla nubecula vel offenſiuncula poterit obfuſcare vel ſupprimere. Pace ejus repetam ea, quae ipſe praeiit. HOMERUS, *Odyſſ.* VIII. v. 447.

Αὐτίκ' ἐπήρτυε πῶμα, θοῶς δ' ἅπτι δεσμὸν ἴηλε.

Statim aptavit operculum, celeriter autem vinculum ligavit.

JOANNES SPONDANUS egregie monuit, ad hunc locum: *Obſervandus eſt hic mos antiquorum, ciſtas*

(*) *Caſpar* SAGITTARIUS, de *Januis veterum*, c. XV. §. 5. p. 87. Jenae 1694. 8.
(g) In *Iliade poſt Homerum*, c. X. §. 8. p. 565. ſqq.

Digitized by Google

ciſtas (& januas) *vinculis muniendi, quod poſtea clavibus fieri ſolitum eſt, ex Laconum inventione, ut tradunt.* HOMERUS, *Odyſſ.* XXI. v. 45. ſqq.

- - Θύρας δ' ἐπέθηκε φαεινὰς,
Αὐλῆς· ἂρ' ἤγ' ἡμάντα θοῶς ἀπέλυσε κορώνη,
Ἐν δὲ κληῖδ' ἧκε, θυρέων δ' ἀνέκοπλεν ὀχῆας
Αὐτὰ τιτυσκομένη. - - -

Januas autem impoſuit ſplendidas,
Statim haec lorum velociter reſolvit annuli,
In clavem immiſit, januarum autem abſcidit lora;
E regione intendens.

Et ibidem v. 240. ſq.

Σοὶ δὲ Φιλοίτιε δῖε θύρας ἐπιτέλλομαι αὐλῆς,
Κληῖσαι κληῖδι, θοῶς δ' ἐπὶ δεσμὸν ἐῆλαι.

Tibi autem, Philoetie divine, fores mando aulae,
Claudas clavi, cito autem vinculum adpone.

Haec ad clauſtrum ſpectant, ſeu vinculum, quod Sagittarius curate deſcripſit. Clavem vero accuratius expoſuit laudatiſſimus Reimmannus (*h*), qui ſic differit: *Clavis duabus conſtabat partibus, clave ſtricte dicta, & manubrio. Illa erat pulchra, aerea, & curvata. Haec eburnea. Et ſicut hac eandem ſolebant prehendere, ita illa nodos artificioſe nexos, & nudis manibus haud diſſolubiles, reſolvere.* Convenit haec deſcriptio cum teſtimonio Homeri, qui ſic canit, *Odyſſ.* XXI. v. 6. 7.

 - - - Κλῃὶς

(*h*) L. c. p. 568.

- - - Κλῃὶς ἐυκαμπὴς,
Καλὴ, χαλκείη, κώπη δ' ἐλέφαντος ἐπῆεν.

Clavis concinnam curvaturam habens,
Pulcra, aerea; manubrium vero eboris ei ineraat.

EUSTATHIUS, in Commentario ad Odyſſeae IX. nobis calculum adjicit album, credens, antiquos interventu vinculorum potuiſſe claudere. Ipſe ſic tradit haecce: Παλαιὸν ἦ φασὶν ἔθος ἦν, κατασφαλίζεσθαι δεσμοῖς. ἡ κλεὶς γὰρ νεωτέρων ἐστὶ Λακώνων εὕρημα. *Antiquus, ceu dicunt, mos fuit, claudere vinculis. Claves enim recentiorum ſunt inventum, idque Laconum.* Inventores clavium jàm haud moramur, ſiquidem ipſi pro gentium diverſitate exſtiterunt diverſi. PLINIUS certe (*i*), Theodorum quemdam Samium claves inveniſſe primum, docuit litterisque conſignavit.

§. XV. Cuſtodia clavium ad fidiſſimum heri adminiſtrum devolvi ſolebat. Athenienſes clavium curam demandarunt Zenoni Cittiaeo, Philoſopho, claveſque portarum urbis ſuae apud eum depoſuerunt (*k*). S. Auguſtinus praepoſitis domus claves anuloſque tradiderat. Ita enim POSSIDIUS (*l*) de eo memoriae prodidit: *Nunquam clavem, nunquam anulum in manu habens: ſed ab eisdem domus praepoſitis cuncta, & accepta & enotata, notabantur: quae anno completo eidem recitabantur, quo ſciretur, quantum acceptum quantumque diſpenſatum fuiſſet, vel quid diſpenſandum remanſiſſet.* Anuli cura conjungitur

(*i*) *Hiſt. Nat.* l. VII. c. 56.
(*k*) DIOGENES *Laertius*, L. VII. p. m. 439. ſq.
(*l*) In *Vita S. Auguſtini*, c. 24. p. 78. ſq.

Digitized by

tur cum cura clavium. Veteres enim anulis utebantur ad claves cautius cuſtodiendas (*m*). CASSIANUS luculentam hujus conſuetudinis injicit mentionem (*n*) *etiam*, inquiens, *anulos, quibus recondita praeſignemus, in digitis palam geſtare nos non pudet.* Romani & Graeci curam clavium ſervis commiſerant (*o*), ac ideo anulo ipſi praecipua obſignabant, ne ſervis pateret, quidquid domi erat clauſum. Claves templi Hieroſolymitani fidiſſimis concredita fuerant praefectis, e ſacerdotum grege deſumtis. (§. 13.) Cum hiſce comparantur Apoſtoli, quos Jeſus adſciverat, ut peculiarem eis curam Eccleſiae ſuae, quae inſtar domus delineatur, injungeret & demandaret. Petrus primo erat adlectus: ipſe primam fidei confeſſionem ediderat: quare ipſi prima clavium Eccleſiae cura fuit tradita. Deinde eadem cura non a Petro, ſed ab ipſo Chriſto, cum reliquis Apoſtolis fuit communicata. In Apoſtolatu nullam Chriſtus ſancivit ſucceſſionem. Epiſcopatus vero determinatos tribuere Apoſtolis, inſulſum eſt & hiſtoriae contrarium. Nemo itaque credat, claves, a Chriſto *Apoſtolis* creditas, ſucceſſionis legibus fuiſſe obnoxias & per manus traditas. Numquid enim claves duodecim ad ducentos Epiſcopos potuerunt transmitti? Hieroſolymae myſticae ſunt duodecim portae, Apoc. XXI. 12. Ezech. XLVIII. 31. ſq. ac duodecim fundamenta, in quibus nomina XII. Apoſtolorum agni adparuerunt

(*m*) PLINIUS, Hiſt. Nat. XXXIII. 1. JUSTUS LIPSIUS, in *notis ad Taciti* L. II *Annal.* p. 501. edit. Antwerp. 1648. fol. Confer tamen SAGITTARIUM, l. c. §. 12. p. 90. ſq.

(*n*) de *Inſtitutis Renuntiantium*, IV. 15.

(*o*) SENECA, L. II. de *Ira* c. 25.

Joanni, v. 14. Quo ipſo intelligitur, claves duodecim merito Apoſtolis duodecim, ſingulis ſingulas, credi datas. Nomina Epiſcoporum a fundamentis Hieroſolymae coeleſtis abſunt. Nomina Apoſtolorum numero clauduntur duodenario, ut intelligas, ſucceſſores ipſis haud fuiſſe datos. Quae igitur ad claves haſce referenda ſunt, quatenus eae *Apoſtolis* fuerunt traditae, illa nec cum Epiſcopis, nec cum miniſtris Eccleſiae potuerunt communicari, niſi hi quoque ſint Apoſtoli, vel munus Apoſtolicum fuerint nacti. Apoſtolorum erat id proprium, ut vidiſſent Jeſum, I. Cor. IX. 1. ne quid de reliquis dicam praerogativis. Si qua tamen clavibus illis inſunt, quae ad Eccleſiam Dei & quamcunque aetatem Eccleſiae pertinent, ea ſolis Apoſtolis eſſe vindicanda, penitus infitior. Quid vero de hac cauſſa mihi videatur pronunciandum, eo loco ediſſerere animus eſt, in quo commodior ei tractationi ſubnata fuerit occaſio.

§. XVI. In praeſens vertitur in eo rei cardo, ut intelligamus, quid *ligatio* & *ſolutio* ſibi velint. Quod ut exquiramus, recolendum eſt animo, Eccleſiam, novi foederis propriam, cum aedificio munito ac firmiſſimo comparari, cujus portae aperiuntur acceſſuris & amicis, praecluduntur vero adverſariis & inimicis. Quibus domus eſt praecluſa, eis eadem eſt interdicta; quibus ea eſt aperta & ſoluta, eis adire licet. Ex eo factum, ut *ligata* veteribus ſint eadem ac *interdicta*; *ſoluta* e contrario ſint eadem ac *licita*. *Ligatio* אסרא Chaldaeis eſt *interdictum*. Ratio denominationis tranſlatae patet ex clavium antiquarum indole, quibus conſtringebantur ac ligabantur ea, quae nunc dicimus *clauſa*, *prohibita*, & *praecluſa*. Ligare potuit nemo, niſi qui clavem, ma-

manubrio inſtructam, teneret. Si igitur ſingulis Apoſtolis poteſtas ſolvendi & ligandi fuit permiſſa, clavis quoque ſingulis permiſſa fuerit, neceſſum eſt. Fruſtra eſt *Joannes* LIGHTFOOTUS, qui claves Petro ſoli commiſſas credit, licet poteſtas ſolvendi ac ligandi reliquis Apoſtolis haud fuerit denegata.

Quae clavi aperiuntur, ea in uſum cedunt eorum, qui ſunt de familia ac domo heri; quae recluduntur, ea ab uſu communi ſemoventur. Chriſtus nil dixit de perſonis ligandis ac ſolvendis. Ubinam enim Chriſtus dixit: ὃς ἐὰν δήσητε, ὃς ἐὰν λύσητε? Ipſe potius dicit: ὃ ἐὰν δήσητε, ὃ ἐὰν λύσητε, *Quodcunque ligaveritis, quodcunque ſolveritis.* De rebus ſolvendis ac praecludendis eſt ſermo, de perſonis non item. Apoſtolis ea poteſtas, ea facultas, a Chriſto fuit impertita, ut aperire & in uſus animarum promere poſſent, quae Spiritus Sanctus eis inſpiraverat. In lucem enim protulerunt doctrinam, a Chriſto exceptam, & a Spiritu, qui ipſos in omnem veritatem ducebat, obtentam, exponentes ea, quae & fide divina adprobanda, & in vitae ſanctitatem ſunt convertenda. Fecerunt id juſſu divino Apoſtoli. Quare ea, quae in terra ab eis ſunt patefacta vel ſilentii peplo obvoluta, *in coelo*, בשמים, hoc eſt, *apud Deum* habentur rata, certa, & probata. Judaei eadem ratione crediderunt, ea, quae Sacerdotes juſſu Dei, in miniſterio ſuo perfecerant, in coelo pro ratis fuiſſe habita (*p*). Diſcipuli ſapientum inter Ju-

(*p*) *Sohar Levit.* fol. 26. col. 102. *Jalkut Simeoni*, Part. I. fol. 225. 1. Loca collegit ac dedit Cl. CHRISTIANUS SCHOETTGENIUS, in *Horis Hebraicis*, ad Matth. XVI. 19. p. 145. ſq.

Digitized by Google

daeos poteſtate & *ligandi* & *ſolvendi* erant praemuniti, hoc eſt, dirigendi aliorum conſcientias, ac pronuntiandi, rem aliam eſſe minus licitam, aliam eſſe licitam, aliam eſſe fugiendam, aliam eſſe faciendam (*q*). Similitudo a patrefamilias eſt deſumta, qui ſalubria promit, ſoluto ac recluſo ſcrinio aut conclavi, ac ea uſui permittit; qui e contrario ea praecludit ac vinculo injecto conſtringit, quae ab uſu removenda, ſcopo minus accommodata, inſalubria, & noxia eſſe exiſtimat. Chriſtus ſapientiſſimus ſuos quoque ſibi diſcipulos ac ſapientiae filios delegerat, quos deſignari arbitror, Matth. XI. 19. Hi patefecerunt ea, quae voluntati divinae ſunt conſentanea, I. Joann. I. 2. 3. Act. XXVI. 20. II. Pet. I. 19. 20. Act. XX. 20. 21. ac ea ſemoverunt a notitia & uſu, quae generi humano vel ſunt inſalubria, vel quae ejus haud refert noſſe. I. Tim. VI. 3. 4. 5. Tit. I. 14. II. Cor. XII. 4. Ipſi Chriſtianis tradiderunt ea, quae de Deo ejuſque Oeconomia gratiae ſint pronuntianda pro veris vel pro falſis; quae ad beatitudinem aeternam faciant vel ei officiant: quae ſint expetenda vel fugienda. Doctrinae, quas de hiſce & credendis & fugiendis nobis expoſuerunt Apoſtoli, adeo ſunt certae & firmae, ut ipſae *in coelo* a Deo ipſo habeantur ratae & verae. Quare nihil eſt luculentius, quam Cl. CHRISTIANI SCHOETTGENII (*r*) ſententia, rati, *infallibilitatem doctrinalem* Petro & Apoſtolis per clavem illam & ligantem & ſolventem, ipſis concreditam, fuiſſe donatam ac tradi-

(*q*) *Bammidbar Rabba*, ſect 14. fol. 223. 4. & ſect. 15. fol. 230. 4. ad verba *Coheleth*, XII. 11.

(*r*) Loco laudato, p. 145.

traditam. De ejus diuturna continuatione, vel per ſucceſſores propaganda, Chriſtus nihil ſubjunxit. In Apoſtolatum nulla exſiſtit ſucceſſio. Apoſtolos enim ipſe Chriſtus delegit citra hominum ſtudia, eisque non Eccleſiae partem, ſed Eccleſiam omnem, demandavit, II. Cor. XI. 28. Ipſis dona extraordinaria, & facultatem patrandi miracula conceſſerat Deus. Ipſi viderant Chriſtum, e mortuis redivivum, I. Cor. XV. 5. 7. 8. Qui hiſce praerogativis carent, ei non ſunt Apoſtoli, ſed impoſtores, ſive ei vocentur *Foxi*, ſive *Davides Georgii*, ſive *Victores Chriſtophori Tuchtfeldii*, dum ad eam procedunt ipſi audaciam, ut Apoſtolos ſeſe eſſe perhibeant. Si virtus animi Apoſtolorum illa, quae ipſos ab omni errore, quem alii in doctrinis Theologicis admittunt, immunes praeſtitit, a Petri ſede & Apoſtolorum domicilio diuturniori pendet vel cum eo conjuncta eſt; tum Epiſcopi Antiochiae, Hieroſolymae, Theſſalonicae, Corinthi, & Syracuſarum, ab errore, qui in doctrinis, ad ſempiternam beatitudinem referendis, admitti poteſt, in hunc uſque diem prorſus fuerunt liberi & intaminati. Nec ſcio, an Pauli cathedra, ſiqua fuit, prior fuerit cathedra Petri in urbe Roma. Paulus certe ſeſe bis aliquamdiu Romae tenuit; an & quamdiu Petrus ibi fuerit verſatus, nondum eſt penitus in expedito. Auctor libri, *de Bicipite capite Eccleſiae*, Paulum aeque ac Petrum *caput* exſtitiſſe *Eccleſiae*, exiſtimavit, quem ANTONIUM ARNALDUM, doctorem Sorbonicum, fuiſſe, communis fama dictitat. EPIPHANIUS certe, *Haer.* XVII. haec tradidit: *Romae primi omnium Petrus & Paulus Apoſtoli pariter & Epiſcopi fuerunt.* Ibidem, in *Haer.* XLVIII. in Codice Graeco-Latino haec habet idem:

Succeſſit Hyginus Papa, in Epiſcopatu Romano, Jacobo, Petro, et Paulo. AUGUSTINUS *de* BELLIS, juſſu Innocentii X. adverſus iſtum Arnaldi librum ſcripſit volumen, de *Abſoluta monarchia Divi, Petri.* Eodem ſpectat opus ANTONINI DIANAE, de *Primatu ſolius Petri.* Quem quum propugnaturus eſt JACOBUS MARIA GRAVINA (*s*), ad locum Matth. XVI. 18. neſcio qua bonae rationis elegantia, provocat. In Apoſtolatu certe Petrus ſucceſſore gaviſus eſt nullo. Si ſucceſſio Epiſcopalis *infallibilitatem*, uti vocant, involvit, eam Antiochenae cathedrae potius, quam Romanae adtribuendam eſſe, nemo non intelligit. Nos doctrinam Pauli ſequimur, quae Petrinam de unica petra, Chriſto, haud deſtruit doctrinam, tum quod Eccleſia ſemper epiſtolas Pauli praepoſuit epiſtolis Petrinis, tum quod in ſigillis Pontificum imago Pauli plerumque a dextris, Petri duntaxat a ſiniſtris conſiſtit (*t*). Quo ipſo utique Paulum praeſtare Petro, extra controverſiam eſt poſitum (*u*).

§. XVII. Petram & fundamentum Eccleſiae exſtitiſſe Petrum, ratione doctrinae, & vitae, maximam partem puriſſimae, id gratiſſima mente praedicamus & prae nobis ferimus. Perſonam vero Petri vicem petrae ſuſtinere in ſucceſſoribus, a nobis, ut credamus, haud poſſumus impetrare, ſiquidem ſit veroſimile, opinionem illam ex libris fide indignis primam traxiſſe originem. In *epiſtola Clementis ad Jacobum* ſuppoſititia, c. I. adhibetur ejusmodi exordium:

(*s*) In *Synopſi Theologiae veterum Patrum, ad mentem Ven. Joſephi Cardinalis Thomaſii*, Part. I. p. 50. ſq.
(*t*) MABILLON, *Itin. Ital.* Tom. I. P. I. p. 16.
(*u*) IDEM, l. c. p. 40.

dium: Γνώριμον ἔσω σοι, κύριέ μου, ὅτι Σίμων, ὁ (διὰ) τ ἀληθῆ πίστιν καὶ τ ἀσφαλεστάτην αὐτῷ τ διδασκαλίας ὑπόθεσιν, τ ἐκκλησίας θεμελίῳ (θεμέλιος) εἶναι ὁρισθείς. Quae verba Ruffinus ſic fuit interpretatus: *Notum tibi facio, Domine, quia Simon Petrus, qui verae fidei merito & integrae praedicationis obtentu, fundamentum Eccleſiae definitus eſt.* In Homilia XVII, quae Clementi fuit ſuppoſita, Petrus ad Simonem Magum ſic inducitur loquens (x): Πρὸς στερεὰν πέτραν ὄντα με, θεμέλιον ἐκκλησίας, ἐναντίῳ ἀνθέστηκάς μοι: *Contra me, firmam petram & Eccleſiae (y) fundamentum, adverſarius reſtitiſti.* Impoſtor ille, qui haſce homilias Clementi ſubjecit ejuſque nomine audacter abuſus fuit, fabulam aliorum, qui Petrum Romae cum Simone Mago concertaſſe retulerant, tenerrime fuit amplexus, eamque, ut fabulas ſuas quadam probabilitatis ſpecie incruſtaret, fundamenti loco poſuit. JUSTINUS ſcilicet MARTYR temere credidit, ſtatuam Simoni Mago a Romanis fuiſſe decretam poſitamque, quae *Semoni Sanco Deo* in Tiberi fluvio fuerat conſtituta. Huic fabulae, vires eundo nactae, addiderunt alii, Simonem Magum Romae in coelum fuiſſe evolaturum, ut doctrinis ſuis robur & auctoritatem conciliaret: ipſum vero Petri, qui tum Romam venerit, precibus ad Deum emiſſis ſuffuſum pudore, ac ex aëre, in quem aliquantulum ſeſe jam ſuſtulerit, praecipitatum jacuiſſe. Aetatis ſubſecutae ſcriptores mirificis hanc fabulam ornarunt & auxe-

(x) Tom. I. Cotelerii p. 736.

(y) An haec duo loca ad doctrinam, an ad perſonam, traxerit ſuppoſitor, non videtur illico perſpicuum. Probabilius eſt, de perſona agi, ni confuſam potius ille auctor amaverit notionem.

auxerunt acceſſionibus. Papias ſcilicet fuit primus, qui, Petrum Romam veniſſe, commemoravit, vir, judice EUSEBIO, judicii admodum exigui, ac ad credulitatem proclivis. Clemens Romanus, qui Papiam anteceſſit, qui Petri Paulique itinera enarravit, qui ſibi magnam auctoritatem in Corinthios ex ſucceſſione in Petri infallibilitatem comparare poterat, adventum Petri in terras, ad Occidentem ſitas, tacuit, licet ab ipſius inſtituto alienum haud eſſet, docere, ipſum Petri eſſe ſucceſſorem (z). Finge tamen, Clementem id adtigiſſe, quod omiſit, noſtrum tamen eſſet, uti judicio & perpendere rei momenta. Quis enim ea omnia fide digna exiſtimaverit, quae a doctoribus primae Eccleſiae de rebus hiſtoricis criticiſque litteris ſunt conſignata? THEOPHILUS *ad Autolycum* (a), σάββατον Graece vertendum eſſe per ἑβδομάδα, *numerum dierum ſeptenarium*, aliis ivit perſuaſum. At quis hoc citra dijudicationem pro vero reputandum duxerit? Scriptores ſuppoſititii commemorarunt primi, Petrum ſub vitae finem Romam veniſſe, Simonem Magum perculiſſe, ac ex aëre retraxiſſe, atque Clementem ordinaſſe Romae Epiſcopum, cui cathedram & poteſtatem ligandi ſolvendique tradiderit (b). Ex Clementis epiſtola ad Jacobum ſuppoſititia, nonnullis hinc inde ex Clementinis homiliis ac aliunde adſutis pannis, aliquis ſub nomine Abdiae Babylonici *Hiſtoriam Apoſtolicam* conſcripſit, *de Rebus, a B. Petro*,

(z) HISTOIRE *des Papes*, Tom. I. p. 7. ſqq.

(a) L. II. c. 17. p. 134. ed. J. C. Wolf. Hamburgi. 1724. 8.

(b) CLEMENTIS *epiſtola ad Jacobum ſuppoſita*, p. 605. Tom. I. Cotelerii, edit. Clerici.

Petro, principe Apoſtolorum, praeclare geſtis (c), ac in ea (d) haec prodidit memoriae. „ *Petrus Romam ve-*
„ *niens, in ipſis diebus ſibi finem vitae imminere prae-*
„ *ſenſit. In conventu ergo fratrum poſitus, adprehenſa*
„ *Clementis manu, repente conſurgens in auribus totius*
„ *Eccleſiae haec protulit verba: Audite me, fratres &*
„ *conſervi mei - - Clementem hunc Epiſcopum vobis*
„ *ordinabo, cui ſoli meae praedicationis & doctrinae ca-*
„ *thedram credo.* Et paucis interjectis: *Ipſi trado*
„ *a Domino mihi datam poteſtatem ligandi & ſolvendi,*
„ *ut de omnibus quibuſcunque decreverit in terris, hoc de-*
„ *cretum ſit & in coelis. Ligabit enim, quod oportet li-*
„ *gari, & ſolvet, quod oportet ſolvi. Et haec quum*
„ *dixiſſet, manus ei impoſuit, eumque in cathedra ſua ſe-*
„ *dere compulit.*" De ſucceſſore Petri & ordinatione Clementis veteres admodum inter ſeſe differunt. Noſtrum erat oſtendere, illam de ſucceſſione Petri Epiſcopali Romana doctrinam eſſe ex libris ſuppoſititiis repetendam, quod fecimus. Ex eodem fonte patet modus, per quem a Petro poteſtas ligandi & ſolvendi ad Clementem & ſucceſſores creditur deri-
vata.

§. XVIII. Qui peccatis gravioribus violaverant pacta ſocietatis Chriſtianae ac diſciplinae confoederatae, ei jura conſortii amittebant, ac eam ob causſam a coetu externo excludebantur. Excluſionem coetus nomine ſolebat peragere Epiſcopus, vel presbyter. Actus hic dictus fuit *ligatio* a nonnullis, eo quod exturbato & dimiſſo adminicula gratiae divinae ordinaria erant (*) praecluſa, licet is legere ſa-
cras

(c) Eam exhibuit B. JOANNES ALBERTUS FABRICIUS, in *Codice apocrypho N. T.* Tom. I. p. 402. ſqq.
(d) Lib. I. §. 15. p. 429. ſq.
(*) Δέσις apud PINDARUM eſt idem ac effectum nativum

cras litteras ac precibus ad Deum domi poſſet omnino uti. Si peccator ejusmodi poenitentiam malefactorum egiſſet, ac coetui ſuo, cujus antea pars fuerat, adprobaſſet; ſolebat a praepoſito coetus, nomine Eccleſiae ſeu concilii, in ſocietatem & ad gratiam foederatorum recipi, inter quos ei nunc baptizari, ſi forte ſacro fonte tinctus luſtratuſve nondum eſſet, ac ſacra euchariſtia uti licebat. Actus hic poſterior dictus fuit *ſolutio*. Atque haec notio eſt Eccleſiaſtica, quae inde per omnes ſaeculorum inſequentium decurſus fluxit & in hunc uſque diem perſtat. Eam ſignificationem & notionem jam adhibuit CYPRIANUS: eam deprehendimus jam in Canonibus Apoſtolorum & Conſtitutionibus Apoſtolicis, foetibus, ſaeculo tertio maxima ex parte excluſis. CYPRIANUS, Ep. 73. *Petro primum Dominus, ſuper quem aedificavit Eccleſiam, & unde unitatis originem inſtituit & oſtendit, poteſtatem illam dedit, ut id ſolveretur in coelis, quod ille ſolviſſet in terris. Et poſt reſurrectionem quoque ad Apoſtolos loquitur, dicens: Sicut miſit me Pater. Unde intelligimus, nonniſi in Eccleſia Praepoſitis & in Euangelica lege ac dominica ordinatione fundatis licere baptizare & remiſſam peccatorum dare.* FIRMILIANUS, ad Cyprianum Ep. 75. p. 225. dictum Chriſti de clave ligante & ſolvente memorat, & addit: *Poteſtas ergo peccatorum remittendorum Apoſtolis data eſt, & Eccleſiis, quas illi a Chriſto miſſi conſtituerunt, & Epiſcopis, qui eis ordinatione vicaria ſucceſſerunt.* Martyres enim, Confeſſores, ac pii alii homines nonnunquam fratribus, antea a coetu ſuo excluſis, poenitentiamque deinde male actorum agentibus, veniam dederunt, &

vum ſupprimere, *Od.* III. *Pyth.* fol. 183. b. Ἀλλὰ χέρδει καὶ σοφία δίδεται.

& litteras, queis ipſi in coetum ſuum recepti eſſe perhibebantur, impertierunt. Male id habebat Epiſcopos, qui remiſſionem illam ac recipiendi facultatem ſibi ſoli adrogabant, non ex pacto confoederatae diſciplinae, quippe quod mutari poterat, ſed ex jure divino immutabili. Jus vero illud Divinum haud alibi putaverant ſeſe detexiſſe, quam in illo Chriſti dicto: *Tu es Petrus - - quidquid ligaveris in terra*, & quae ſunt reliqua. Qui de hac Veterum opinione dubitaverit, eum remiſſum velim ad CYPRIANI *Epiſtolam*, 33. p. m. 66. Incidit alia quoque ratio, cur Epiſcopos Apoſtolis ſucceſſiſſe & ab illis claves, ſeu poteſtatem ligandi ſolvendique, accepiſſe, traderetur. Separaverant enim nonnulli coetus Chriſtiani ſeſe a reliquis antiquioribus, ſibique eamdem poteſtatem baptizandi & lapſos recipiendi, ſeu remittendi peccata, tribuerant. Si poteſtas haec conſenſu coetus ac mutuo pacto fuiſſet metienda, coetus ſeparati ac recentiores haud erant deterioris conditionis, quam coetus illi antiquiores. At, obſecro, qua ratione Epiſcopi coetuum antiquiorum ferebant coetus illos ſeparatim collectos? Ipſi in ea verſabantur opinione, neminem poſſe aeternum beari, niſi coetibus prioribus adgregatus ac ordini antiſtitum, qui ſucceſſiones ſuas ab Apoſtolis deducebant, ſubjectus fuiſſet. Ipſi ſibi tribuebant *jus prohibendi*: denegabant aliis quibuſcunque poteſtatem baptizandi, licet paullo poſt hoc momentum ipſis exſiſteret Eridos pomum: jactabant Eccleſiae unitatem, ariſtocratia implicatam & confirmatam: perſuadebant aliis, actus Eccleſiaſticos eſſe irritos, niſi qui a praepoſito Eccleſiae, qui rite eſſet ordinatus, eſſent peracti & exerciti: adfirmabant, veritatem doctrinae cum ſucceſſione Epiſcoporum perſonali ita co-

cohaerere, ut una citra alteram ſubſiſtere haud poſſet. Coetuum complurium illa concordia externa qualiſcunque tantam ſenſim comparabat vim & potentiam, ut ipſi, ex *jure prohibendi* ac *conciliorum* adhibito, pauciores ac infirmiores facile ſuperarent, disjicerent & labefactarent.

Qui ſcripta legerit, Donatiſtis oppoſita; is; me nec falſa nec ficta pronuntiaſſe, fatebitur. Et quid ad vindicandam illam unitatem Eccleſiae externam, ariſtocratia temperatam, ſalubrius videri poterat, quam magnifica & Apoſtolica illa poteſtas clavium, a Petro cum reliquis Apoſtolis & ab Apoſtolis porro ipſis Epiſcopis communicata? CYPRIANUS (*e*) meditate & perſpicue hanc hierarchiae formam expreſſit, *Dominus*, inquiens; *noſter, Epiſcopi honorem & Eccleſiae rationem diſponens, in Euangelio loquitur & dicit Petro: Ecce tibi dico, quia tu es Petrus &c. Inde per temporum & ſucceſſionum vices Epiſcoporum ordinatio & Eccleſiae ratio decurrit, ut Eccleſia ſuper Epiſcopos conſtituatur, & omnis actus Eccleſiae per eosdem praepoſitos gubernetur. Quum hoc itaque Divina lege fundatum ſit, miror, quosdam audaci temeritate ſic mihi ſcribere voluiſſe, ut Eccleſiae nomine litteras facerent, quando Eccleſia in Epiſcopo & Clero & in omnibus ſtantibus ſit conſtituta.* Ut autem ei, qui a coetu quodam Chriſtianorum externo ſeclusi erant, re ipſa oſtenderent, peccatorum ſuorum ipſos poenitere, a coetu, cujus conſortes fuerant, ſuſcipiebant certum *ſatisfactionis* modulum, quem ſi, non Deo, ſed Eccleſiae, poenitentiam illam examinanti, probaſſent, in gremium matris ſeu ſocietatis recipiebantur. Impoſitio illa ſatisfactionis ve-

(*e*) Ep. 33. p. 66.

venire ſolebat *ligationis* nomine, quae ſucceſſu temporis in carnificinam fuit converſa. Spreverunt eam Imperator & Principes Imperii ſub Ottone III. DITMARUS, Epiſcopus Merſeburgenſis (*f*), eam ob cauſſam ita ingemiſcit: *Innumeras antiſtitum excommunicationes ſpreverunt & propter hoc ſtare diu non poterunt.* Quis ignorat ſatisfactionem, praeſtitam a Theodoſio Magno, a Ludovico Pio, ab Ottone III. (*g*), ab Ottone IV, & aliis? Nonnunquam *ſolutio*, ſeu reſtitutio in album Eccleſiae externae, contigit extra communionem coetus externi poſitis demum poſt mortem. Quale exemplum in Erneſto, Duce Sueviae, uſuveniſſe, tradidit WIPPO (*h*). Verum nobis haud fuit conſtitutum de excommunicatione commentari, demonſtraturis duntaxat fructus, qui ex perverſa ſacrarum litterarum expoſitione vel unius dicti accommodatione ſingulari exoriri poſſunt.

§. XIX. Tandem vero videtur neceſſarium, ut quaeramus, an claves illae ſingulis Eccleſiae doctoribus ordinatis ſint traditae, & an miniſtri Eccleſiae, parochiae praepoſiti, revera *ſolvere* poſſint & *ligare*. Antequam vero ad quaeſtionem hanc enodandam progredior, operae duco pretium, repetere memoriam ejus doctrinae, quam nemo non ambabus largietur. Recognoſco itaque illud, quod veritati longe eſt accommodatiſſimum, ſcilicet actiones Apoſtolorum, Apoſtolis proprias & Apoſtolatui duntaxat

(*f*) *Annal.* L. IV. p. 350.

(*g*) ARNOLFUS Comes, in *Memoria* B. *Emmerani & cultorum ejus*, ſeu *vita Ramuoldi*, §. 19. p. 19. Saeculo VI. Benedictino, Parte I.

(*h*) In *Vita Conradi* II. *Salici*, p. 437.

Digitized by Google

taxat innexas, cum Episcopis & presbyteris haud fuisse communicatas, siquidem hi in munia Apostolica haud succesſerunt. Utinam hoc ab interpretibus sacrarum litterarum semper ob oculos poneretur, ne ea, quae Apostolis speciatim sunt dicta & conceſſa, ad Eccleſiastas aetatis nostrae & singulos Christianos derivare instituerent! Eos vero haud moramur, qui Apostolos per singula saecula existimant exoriri novos. Quis enim nescit, fundamenta coelestis Hierosolymae Apostolis duodecim, tanquam totidem petris, ratione doctrinae, esse superstructa, Apoc. XXI. 14. In Judae Ischariotae locum Matthias fuit divino sortium oraculo delectus ac surrogatus; Jacobi Majoris, praemature obtruncati, vicem Paulus sustinuit. *Apostolici*, Anabaptistarum secta, circa annum MDXXX. bini (*b*) Germaniam peragrabant, expleturi munia, Apostolis a Christo impertita. Ipsi tamen Euangelicis sese haud adgregarunt, nec pro sodalibus ab eis fuerunt habiti, adeo ut nulla eis cum Protestantibus fuerit communio Eccleſiastica. Potuisset hoc R. P. sodalis societatis Jesu, FRANCISCUS CATROVIUS, facile nosse, dummodo historiam reformationis per Germaniam Eccleſiasticae accuratius introspexisset. Perperam CATROVIUS Fanaticismum Eccleſiae Protestantium impingit. At salva res est. Respondit jam & Catrovii objectionem occupavit vir Celeberrimus, ISAACUS *de* BEAUSOBRE (*i*). Eccleſia nostra doctrinis eis, quae

(*b*) CATROU, en *Hiſtoire du Fanatiſme dans la religion Proteſtante*, Tom. I. L. IV. p. 348. sq. 1733. 8. Paris.

(*i*) En *Diſcours ſur les Livres Apocryphes*, dans *l'Hiſtoire Cri-*

quae ſacris litteris continentur; unice pro norma & regula fidei vitaeque ſuae utitur. Abhorremus a novis revelationibus, quae hiſce repugnant: nec ullas revelationum novarum ſpecies in normam fidei ac vitae ſuſcipimus. Libros Novi Teſtamenti Canonicos additamentis egere, non credimus. Volumina, quorum auctores divinitus haud fuerunt inſpirati, caute legimus, norma eis adhibita & arte critica ſaniori, obſervantes illud Pauli, I. Theſſ. V. 21. Πάντα δοκιμάζετε, τὸ καλὸν κατέχετε. Et hac ratione *ſolvimus*, non per modum Apoſtolorum, ſed repetitis dextreque explicatis Apoſtolorum verbis. Quae Apoſtoli docuerunt credenda, agenda, expetenda & ſperanda, ea tradimus liberis noſtris noſtrisque familiis, nec latum unguem ab eis diſcedimus. Praeeunt presbyteri, ac presbyterorum inſpectores, quos olim Epiſcopos vocabant primae Eccleſiae; nos comitamur ipſos, Berrhoeenſes (*k*) imitamur, pro nobis quiſque rationem (*l*) reddituri, noſtra quiſque fide (*m*) victuri, noſtram quiſque ſalutem ſempiternam vel (*n*) operaturi, vel (*o*) periclitaturi. Prophetas Apoſtoloſve novos (*p*) fugimus. Nec enim oeconomia ſalutis, ab Apoſtolis tradita, eſt hiulca vel manca. Si qui ſeſe pro Prophetis vel Apoſtolis venditaverint, eos pro impoſtoribus habemus. Novimus enim, regnum Chri-

Critique de Manichée & du Manichéisme, Tom. I. L. III. p. 447.

(*k*) Act. XVII. 11.
(*l*) Rom. XIV. 12.
(*m*) Hab. II. 4. Rom. I. 17. Gal. III. 11. Ebr. X. 38.
(*n*) Phil. II. 12.
(*o*) I. Cor. X. 12.
(*p*) II. Pet. II. 1. I. Tim. IV. 1. ſqq.

ſti eſſe (q) immutabile, baptiſmum eſſe doctrinae (r) Chriſtianae ſigillum individuum, ſacrae coenae (s) uſum ad Chriſti adventum eſſe continuandum, promiſſa nobis nulla de Apoſtolis novis eſſe tradita, quippe qui, ſi Apoſtolica repetunt dogmata, ſunt ſupervacui; ſin vero unicum παρ' ὃ, id eſt, *additamentum*, *doctrinae Euangelicae contrarium*, adtulerint, ſacri (t) ſunt & inteſtabiles. *Ligam* doctores noſtri, dum ea reticent, quae Deus per Apoſtolos exponere de rebus, ad ſalutem noſtram adtinentibus, haud fuit dignatus. Quae magiſter, quae diſcipuli ejus primi nos ignorare voluerunt, ea noſſe non laboramus. Novimus enim illud Chriſti, Apoſtolis inculcatum, Act. I. 7. Οὐχ ὑμῶν ἐστι γνῶναι χρόνους ἢ καιροὺς, οὓς ὁ Πατὴρ ἔθετο ἐν τῇ ἰδίᾳ ἐξουσίᾳ. Tandem ea exponentur & ſolventur nobis in academia coeleſti, quae nunc nobis ſunt *ligata*, praecluſa, abdita, & ignota, 1. Cor. XIII. 9. 10. Eccleſiaſtae noſtri hoc obſervare & in uſum transducere debent, ut doctrinas Apoſtolicas recte repetant, doceant, ſolvant & exponant, non ſolum generatim, ſed etiam ratione diverſorum hominum, quibuſcum agunt & verſantur. Aliis lex eſt inculcanda; aliis ſolatium ex Euangelio eſt inſtillandum; aliis nonnulla ſunt fugienda ob perſonam, quam ſuſtinent, ob locum, tempus; aliis alia poſſunt vel ſemper, vel ad tempus indulgeri. Nec quaecunque, praecipue ea, quae ad ſalutem obtinendam haud faciunt, ac offenſioni animis poſſunt eſſe, paſſim ſunt evulganda. Quam ob cauſſam Eccleſiaſtae alia diſſimu-

(q) Ebr. XII. 27. 28.
(r) Eph. IV. 4. 5.
(s) I. Cor. XI. 26.
(t) Gal. I. 8. 9.

Digitized by

ſimulant & abdunt, alia exponunt ac in notitiam complurium deducunt. Ea autem, quae noſſe oportet eos, quibus ſalus aeterna debet eſſe curae, non ſunt in abditis & occultis numeranda. *Diſciplinam arcani* Chriſtus ſuis haud (*u*) commendavit, ſed prudentiam Chriſtianis dignam. Singulis Chriſtianis idem legendi & perſcrutandi ſacras litteras jus dederunt Apoſtoli (*x*), quod, licet in abuſum converti poſſit, tolli tamen & obſcurari non decet. Quis enim, ob eum, ad quem aqua adhibetur, abuſum, removebit ac tollet omnem uſum aquae? Aqua enim, ne pereamus, indigemus; nec ſecus verbo divino, ne aeternum pereamus, mortalibus (*y*) eſt opus. Qui doctrinas ſuas, quas ſaluti ſempiternae utiles & conducibiles eſſe praedicant, anxie occultant, ac a conſcientia & notitia acutiorum disjungunt, ei, ni ſint impoſtores, ſuſpicionem impoſturae profecto incurrunt. Si qui enim, novas ſeſe doctrinas adferre, jactitant, & Apoſtolos novos agere contendunt, nae eorum eſt, profiteri dogmata publice, quamprimum ratio ſpei, in ipſis ſitae, explorationibus ac examini (*z*) ſubjicitur. Apoſtolorum eſt, cum veritate doctrinae intrepidum animi robur conjungere, ac, ſi adverſario ſic placeat judici, vitam (*a*) ad obſignandum Dei verbum profundere. Sed apage ineptias & novos Apoſtolos!

§. XX. Qui veritates divinas ac promiſſiones Dei ad animos hominum adplicant, ei gratiam Dei

(*u*) Matth. X. 27. Joann. XVIII. 20. 21.
(*x*) Act. XVII. 11. XVIII. 24. 1. Theſſ. V. 27. Apoc. I. 3.
(*y*) Deut. VIII. 3. Matth. IV. 4.
(*z*) I. Pet. III. 15.
(*a*) Matth. X. 28.

vel nobis patere fatentur, vel nos ei locum relinquere negant. Quorum mentibus doctrina Apostolorum est instar praescripti, ei norunt, hominum duo esse genera. Alii enim vocantur oves; alii adpellantur hirci (*b*): alii dicuntur pii & elogio ornandi (*c*); alii adpellantur maligni. Improbis beneficia, quibus Deus suos peculiariter adficit, haud tribuuntur. Ut ita fiat, ipsi sunt in caussa & in culpa, siquidem Spiritui Sancto ejusque per verbum & commotiones animi adhortationibus repugnant & reluctantur. Probis ex adverso Deus impertit ea, quae filiis suis promisit, remissionem peccatorum, gratiae sensionem, certe gratiae degustandae desiderium, tranquillitatem conscientiae, ardorem obedientiae, precum adsiduitatem, animum a vanis & fluxis malorum irritamentis sevocatum, spem & exspectationem vitae sempiternae. Promissiones itaque gratiae, licet universis & singulis offerantur & offerendae sint, adplicari tamen singulis nequeunt, nisi conditio (*d*) poenitentiae de male actis & viva fides accesserint. Ex quibus facile intelligitur, presbyterorum haud esse, eos de absolutione a peccatis reddere certiores, qui data opera peccatis publicis sese commaculant & conspurcant. Si vero ille, qui Ecclesiam variis violavit peccatis, poenitentiam male actorum ostendit, promittit, & re ipsa comprobat; tum antistes eum, nomine societatis sacrae, inde laesae, potest eatenus absolvere (*e*) ac absolutionem ei conferre. At si quis in Deum peccavit, ei antistes Ecclesiae, nomine Dei, non aliter

(*b*) Matth. XXV. 33.
(*c*) Matth. XXV. 34. 41. 46. Joann. V. 29.
(*d*) *Joannes* FECHT, in *Philocalia*, P. III. §. 22.
(*e*) II. Cor. II. 10.

ter poteſt promittere & confirmare gratiam Dei, ac ſub conditione poenitentiae & fidei. Minoris enim & facilioris negotii res eſt, reconciliationem, cum collegio renovatam, alicui renuntiare & nomine coetus conferre; quam de gratia Dei, qui animum introſpicit & explorat, aliquem reddere certiorem. An vero, in poſteriori caſu, antiſtites Eccleſiae remiſſionem peccatorum conferant, an adnuntient, non diſputo. Id tamen eſt admittendum, ipſos per adnuntiationem beneficiorum divinorum eis, quos male actorum poenitet & fides viva ſubit, remiſſionem peccatorum, interventu adplicatae promiſſionis Euangelicae, conferre. Si enim ille, qui alterum verbo Dei ad vivam fidem perducit, eum *gignere* & *regenerare* (*f*) dicitur, quod proprie (*g*) eſt ſolius Dei; quidni abſolviſſe ipſum a peccatis & ei contuliſſe remiſſionem peccatorum dici poſſet? Numquid vero abſolutio ejusmodi ad *clavem ſolventem & ligantem* ſit referenda, ſecundum formulam loquendi, in ſacris litteris comprobatam, alias diſpiciam. In praeſens illud ſuffecerit monuiſſe, Cyprianum aliosque Eccleſiae Patres *ſolutionem* ac *ligationem* ita fuiſſe interpretatos.

§. XXI. Quum haec jam ſcripſiſſem ac ita coronidem tractationi impoſuiſſe mihi viderer, incidi in ritum Judaeorum quemdam, quocum illi conſuetudini, ex qua lucem verbis Chriſti, de clave ſolvente & ligante diſſerentis, fenerari in animum induxeram, maxima eſt adfinitas & origo, ut videtur, communis. Paullo enim ante, quam Jeſus ſpectabili mi-

§. XXI. *Analectorum ad ſuperius dicta parvicula.*

(*f*) I. Cor. IV. 15. Philem. vſ. 10.
(*g*) I. Pet. I. 3.

miniſterio in terris fungi coepit, Judaei Rabbinos, ſeu doctores judicesque doctrinae, divinitus patefactae, creandi (*a*) fecerunt initium. Ut poteſtas & decus horum hominum exſplendeſceret magis, inter ſolemnitatis reliquae adparatum recipiebant traditam ab uno ex primoribus (*b*) clavem, in ſymbolum licentiae, tum exponendi & recludendi res arduas & ſalubres, tum reticendi ac diſſimulandi ea, quae in aures conſpectumque plebis producere haud videbatur conſultum. Eodem propemodum pacto Eumolpida antiſtes penes Graecos aeque clavem (*c*) geſtabat auream, linguae adaptatam, ut ob oculos ei verſaretur prudentia, in exponendo & reticendo, in recludendo & claudendo, adhibenda. Clavem ejusmodi Judaei, haud ſecus ac Jeſus, adpellare conſueverant *clavem ſcientiarum*. Verum eam clavem ſeu poteſtatem Judaici doctores tam impie tamque nefarie adminiſtrabant, ut ignorantiam plebis ſtudioſe alerent, ſibique auctoritatem, qualem domini terrarum tenent & exercent, in eos adrogarent, quos in praecepta ac decreta Rabbinorum peccaſſe conſtabat. Rabbini eam ob cauſſam vocabantur דַּרְבָּנִין, hoc eſt, ſtimuli, bobus agitandis ac pungendis accommodati. Coërcitionis poenaeque inſtrumen-

(*a*) JOANNES BUXTORFIUS, in *Abbreviaturis Rabbinicis*, p. 188. JOANN. LIGHTFOOT, in *Horis* ad Matth. XXIII. 7. JOANN. FRANC. BUDDEUS, in *Introduct. ad Philoſ. Hebr.* §. 22. p. 83.

(*b*) CHRISTIANUS SCHOTGENIUS, in *Horis Talmudicis* ad Matth. XXIII. 13. JOANN. BUXTORFIUS, in *Catalectis Philologico-Theologicis*, ſect. 57. p. 60. JOANN. ERNESTUS *ab Aversvalde*, in Diſſ. *de Rabbinis & Gradibus honorum Litterariis apud Hebraeos uſitatis*, §. 7. p. 14.

(*c*) D. JOANN. MARSHAMUS, in *Canone Chronico*, p. 259. MORHOFIUS, in *Polyhiſtore*, p. 125.

mentum erat *fuſtis*, poterantque plagae, prouti delictum & perſonae ratio exigebant vel ferebant, ſive minui, ſive etiam, vel ad ipſam mortem, augeri (*d*). Paulum ex hoc ritu deſumſiſſe formulam loquendi, quo minus credamus, nihil impedit, quum ita, I. Cor. IV. 21. differit: *Quid vultis? ἐν ῥάβδῳ ἔλθω πρὸς ὑμᾶς, ἢ ἐν ἀγάπῃ; an cum baculo veniam ad vos, an cum amore, mavultis?* Quid vero per fuſtem aut baculum Apoſtolicum videatur intelligendum, jam non determinamus, rati, eos a janua non aberrare, qui caſtigationem, divinitus inflictam, ad reſipiſcendum, per illum deſignari credunt, cujus rei exempla commemorantur Act. V. 5. 10. XIII. 11. II. Cor. X. 7. XIII. 2. Nemo pronuntiabit, id eſſe certum, quod nemo non infitiatur, ſcilicet Rabbinos Judaeorum clave illis tradita recte uſos fuiſſe. Chriſtus profecto eis pravam clavis illius adminiſtrationem exprobrat, exiſtimans, ipſos regnum coelorum clauſiſſe, non aperuiſſe hominibus, nec in illud illos ingredi, multoque minus, ut alii in illud ingrediantur, permittere. Matth. XXIII. 13. Egregius eſt locus, quo idem Servatoris ſermo a Luca exponitur, c. XI. 52. ubi idem ſic differit: *Vae vobis, legum conſultis, eo quod avertiſtis & abſtuliſtis clavem cognitionis illius*, quae ad coelos perducit. *Vos non introiiſtis & introire ſtudentes impediviſtis & adhuc impeditis.* Atque haec Judaeorum perverſa indoles fuit in cauſſa, ut ille, qui clavem Davidis, Prophetae de Meſſia perſpicue vaticinati, tenet, veluti Dominus, & ita claudere valet, ut nemo poſſit aperire, ac ſic valet ape-

 rire,

(*d*) MAIMONIDES, *in Sanhedrin* c. XVI. & *Jom Kippur*, c. 2. ARUCH, in voce דרבן.

rire, ut claudere nemo valeat, clavem illam cognitionis ſaluberrimae tranſtulerit ad Apoſtolos ſuos eorumque in doctrina & vita ſucceſſores. Quo ipſo pateſcit, quibus doctoribus ſoſpitator nos commiſerit, & quinam exſtiterit finis demandandi Petro & Apoſtolis clavem regni coelorum. Egregia eſt Venerandi Viri ſummique Theologi, SALOMONIS DEYLINGII, ſententia (*e*) de clave ſolvente & ligante, quam ita exponit: *Reſpexit Servator* per clavem ſolventem & ligantem *ad conſtrictionem vinculorum ſive catenarum in carcere, quae adpoſitis ſeris impingi & ope clavium viciſſim ſolent removeri. Inde intelligimus, quid peccata ſint. Nihil* certe ea ſunt *aliud, quam catenae, quibus vincti detinentur miſeri peccatores in carcere & poteſtate Satanae, & ob contractum perpetui carceris reatum impediuntur, ne in regnum coelorum introire poſſint, usquedum, vinculis illis ſolutis & ex diaboli poteſtate ac carcere dimiſſis ac liberatis, coelum recludatur, adhibitis claudendi & recludendi coeli mediis, divinitus praeſcriptis, verbo nimirum & ſacramentis, lege & Euangelio.* Vir, ob magnitudinem adpellandus, claves, Apoſtolis conceſſas, ad coelum recludendum vel claudendum pertinere, ſtatuit, quod ipſum nos quoque credimus. Chriſtus enim perſpicue ad Petrum dixit: *Dabo tibi claves illas regni coelorum*, quas Judaeorum Rabbini in ſua eſſe poteſtate minus recte gloriantur. Sunt, qui putant, Petrum ordinaſſe Clementem ſucceſſorem, quod & TERTULLIANUS habet, in *Libro de Praeſcriptione.* Addiderunt alii formulam hanc ordinationis: *Sicut mihi gubernanda tradita eſt a Domino*

(*e*) In *Inſtitutionibus prudentiae paſtoralis*, P. III. c. 4. §. 3. p. 377.

mino meo Jeſu Chriſto poteſtas ligandi abſolvendique, ita & ego tibi committo, ut, ordinans diſpenſatores diverſarum cauſſarum, tu minime curis ſaeculi deditus reperiaris, ſed ſolummodo ad orationem & praedicationem vacare ſtudeas. Sed hoc ſuis auctoribus comprobandum relinquimus. TERTULLIANUS, *de Praeſcript.* c. XXII. de cognitione claves illas videtur interpretatus, differens hunc in modum: *Latuitne aliquid Petrum, aedificandae Eccleſiae Petram dictum, claves regni coelorum conſecutum & ſolvendi & alligandi in coelis & in terris poteſtatem?* Reliqua huc facientia loca ex Eccleſiae Patribus collegit Frater Aloyſius M. LUCINUS, Ord. Praed. S. Theol. Magiſter, in libro, Venetiis A. 1735. 8. adverſus Doctorem Sorbonicum, Hyacinthum Serry, Theologum Patavinum, edito, quem inſcripſit: *Romani Pontificis privilegia, adverſus noviſſimos Oſores vindicata*, Diſſ. I. p. 13. ſqq. HILARIUS clavem ſolventem & ligantem de peccatorum non-abſolutione & abſolutione expoſuit, ad Matth. XVIII. (*f*) Eadem ratione illam clavem expoſuit ſolisque tribuit ſacerdotibus. Sed cur, variantes omnium ſententias huc transferre, operae videretur eſſe pretium?

(*f*) Ven. ZEIBICH, in *Epimetro, de Neceſſitate confeſſionis privatae retinendae*, §. 15. p. 39. 40.

X. ORIGINES WALDENSIUM,

in initiis saeculi XI. & XII. quaerendas, exponit J. C. H.

§. I. *Bernhardi testimonium de haereticis Galliae, quos postea vocarunt Latini Waldenses.*
§. II. *Expositio, in hoc testimonium expromta.*
§. III. *Bernhardi consuetudo & indoles, credulitatis rea.*
§. IV. *Testimonium Turrettini, & Beausobrii destinatio.*

§. I.

Bernhardus, Abbas Claraevallensis, & Cisterciensium conditor, majorem quam solidiorem gloriam ab hominibus sui temporis reportavit. Id inprimis est dolendum, quod ad centones, e sacris litteris contexendos, quam ad res vere & debite recensendas fuerit magis idoneus. Id ipsum in praesens exemplo ibimus comprobatum satis luculento & commemorabili. Ipse dictatoriam virgulam in eos, quos a doctrina Christiana aberrare crediderat, immissurus, data occasione de indoctis suae aetatis & Galliarum hominibus quibusdam differit, istosque adpellat *rusticanos*, *idiotas*, *prorsus contemptibiles*. Auctor vero suis est & suasor, ne eos negligant, vel fiducia orthodoxiae, satis propugnatae, in utramvis dormiant aurem. Addit enim: *Non est, dico vobis, cum eis negligenter agendum. Multum autem proficiunt ad impietatem, & sermo eorum ut cancer serpit.* Si quaeris, quinam illi exstiterint heterodoxi, Bernhardus, eos refutaturus, in hisce erroribus senten-

tentias ipſorum verti pronuntiat, ut negaverint, licere inire matrimonia, ut baptiſmo regenerationem denegaverint, ut purgatorium ignem & orationes, pro defunctis valituras, in dubium revocaverint. *Non credunt*, inquit, *ignem purgatorium reſtare poſt mortem, ſed ſtatim animam, ſolutam a corpore, vel ad requiem tranſire, vel ad damnationem.* Haec tradit de eis BERNHARDUS, *Sermone* LXVI. fol. 170. edit. Opp. Paris 1566. fol. Ridicule comprobat, dari ignem purgatorium, ex Matth. XII. 32. ubi Chriſtus docet, peccatum, Spiritui Sancto intentatum, nec in hoc, nec in futuro ſaeculo remitti, ſeu condonari. Deinde, quantum ad nuptiarum indolem licitam & legitimam adtinet, ipſos Manichaeis adgregat, e quorum putentibus lacunis iſti ſitim reſtinxerint. Obiit Bernhardus, Anno MCLIII. 30. Auguſti, pater & conditor 140. coenobiorum, teſte Alberico, trium fontium Monacho. Fato itaque ipſe conceſſit, antequam Petrus de Waldo inclareſceret, qui potiſſimum circa annum MCLXX. innotuit.

§. II. Exſtiterunt videlicet jamtum in Galliis homines, qui capita fidei Chriſtianae recens inſtar pannorum adſuta repudiarunt. Hiſce poſthaec Waldenſibus fuit cognomen, quibus ad imitationem Bernhardi fuit lues Manichaeismi objecta & exprobrata. Ipſos nuptias prorſus faſtidiviſſe vel horruiſſe, nequaquam vero fit ſimile. Qui enim ſolis litteris divinioribus capita doctrinae amplectendae metiebantur, religioni utique ſibi ducebant, nuptias deteſtari. Bernhardus ſolet calumnias credulo animo repetere ac extollere. Pateſcit id ipſum ex eis, quae de Petri Abaelardi ac Gilberti Pictavienſis erroribus diſſeminavit. Nuptias illiterati illi cer-

to potuerunt pacto citra errorem faſtidire, ſiquidem ea aetate illas jam in ſacramentorum ſeriem doctores concluſerant. Quod vero indocti illi & ruſticani homines ignem purgatorium dari negabant, id eſt indicio, ipſos in ſacris litteris nullum ejus pervidiſſe fundamentum, ac de cetero acceſſiones novellas dogmatum, a patribus traditas, Eccleſiaſticas repudiaſſe. Eadem ratio ipſos impulit, cur orationes ſeu preces, pro ſalute defunctorum tum fieri ſolitas, exploderent, ſatis habentes, exemplis & pronuntiatis ſacri Codicis inniti. Ipſi vero a cathedris erant disjuncti, a muniis Eccleſiaſticis & ſplendore collegiorum alieni, ruri agentes, vel in deſpicatis urbibus commercia viliora tractantes. Ideo vocati fuerunt *ruſticani*, *idiotae*, *contemptibiles*. Nec tamen numerus ipſorum fuit exiguus, ſiquidem Bernhardus, ſermonem eorum inſtar cancri ſerpere, tradidit. Quae ſingula ſi ſub unum conſpectum revoco, Waldenſium auctores & progenitores mihi videre videor. BEAUSOBRIUS (*a*) pulcre de originibus Waldenſium ita differit: *L'Origine des Vaudois eſt ſi cachée, qu'on ne ſauroit en marquer ſurement l'Epoque. Le nom de Pierre de Waldo pourroit bien avoir été l'occaſion, qui les fit nommer Vaudois, mais il ne fut point le Fondateur de leur Société. Il la trouva toute établie & ne fit, que l'étendre & en porter la Foi dans les pays, où elle étoit inconnue.* Addit deinde Vir Celeberrimus, Waldenſibus communem Manichaeismi probrum fuiſſe objectum. Viri, honoribus adfecti, ab hac ruſticanorum doctrina ſeſe ſervabant immunes, territi quippe poenis crudeliſſimis

(*a*) In Praefatione ad librum: *Hiſtoire Critique de Manichée & du Manichéisme*, p. 3. 4. Amſterdam. 1734. 4.

mis, paſſim in eos expromtis & effuſis. Quum enim quadraginta viri, partim generoſiſſima ſtirpe editi, partim Clerici, Aureliae illam fuiſſent amplexati, delatores rem detulerunt, Anno MXXII. ad Regem Robertum, qui, concilio convocato, eos, tanquam convictos Manichaeiſmi damnatos, igni vivos juſſit exuri ac concremari. Horum Canonicorum doctrina exquiſita ac morum integritas a ſcriptoribus aetatis illius admodum egregiis ornata fuit elogiis. Conſtantia autem ipſorum adeo in animos inſectatorum penetravit, ut ipſos ſtupor & admiratio incesſerent. Ea enim ſpe, ea animi firmitate & eo gaudio martyres illi flammis ſeſe dabant, ut in igne eluceret immota pectoris ipſorum magnitudo. Paullo poſt ad Atrebatum, Cameracum, & Toloſam homines ejusdem ſententiae fuerunt deprehenſi. Sed in eis diſpar erat animus, nec fides aeque excelſa. Imminentes crudelitatum procellae eos perculerunt terrore, & metu exanimarunt, eo quidem eventu, ut reliquiae clanculum & paſſim in villis haererent, ita impedientes, ne ingenia adverſariorum exaſperarentur.

§. III. Fuiſſet Bernhardi officium, accurate ruſticanorum illorum percenſere doctrinas, ipſi minus probatas, dare ac proferre propria ipſorum verba, ſequi complexum illorum dogmaticum, deſignare libros ac teſtes, ex quibus dijudicari potuerint a quovis alio dogmata illa ſuſpecta. Sed ea circumſpectione vel raro vel nunquam uſus eſt Bernhardus ille, quo majorem ſtatorem ac ſatellitem curiae Romanae vix vidit aetas elapſa. Tanta enim inerat ei cupiditas amplificandi ſedis Romanae auctoritatem, ut eos, qui a Chriſtiana religione erant disjuncti, vel errore quodam in dogmata, ſemel in Eccleſiis quam-

quamplurimis recepta, impegerant, vi, terrore, & ipſo ferro doceret ad ovile Chriſti, certe Romanum, eſſe deducendos. Ipſius impulſu ſuaſuque expeditiones cruentae in Slavos, Saracenos, & incolas Palaeſtinae fuerunt ſuſceptae (*b*), eventu praedictionibus ipſius haud reſpondente. GAUFRIDUS Clarevallenſis, praeco & laudator Bernhardi, nequidem audet hoc ſanguinolentum Bernhardi factum in dubitationem revocare (*c*), licet perhibeat, Bernhardum, juſſu Papae precibuſque Regis Galliarum adductum, populis principibuſque expeditiones ſanguinolentas ſuaſiſſe. Idem Bernhardus, eadem incitatus religione, inſtituta Templariorum, qui tum in Palaeſtina exorti ſunt, adprobavit miriſque extulit elogiis (*d*). Quis credet, virum, tantopere Pontificum auctoritati ſtabiliendae addictum, candide & debite expoſuiſſe eorum dogmata, qui eam negligebant, certe minoris ducebant. Si ea, quae Bernhardus de erroribus Gilleberti, Epiſcopi Pictavienſis (*e*), ediſſeruit, contendimus ac comparamus cum teſtimonio Ottonis Friſingenſis; tum intelligimus, quanta credulitate, ni ambitione, laboraverit bonus ille Bernhardus, ſimulac, diſſentientium opiniones ut convelleret, in animum induxerat ſuum. Quem ipſius naevum nec eruditiſſimus Papebrochius (*f*), nec celeberrimus Joannes Lamius (*g*) diſſi-

(*b*) HELMOLDUS, in *Chronico Slavorum*, L. I. c. 59. (60) p. 587. Tom. II. Leibn.
(*c*) L. III. *vitae S. Bernhardi*, c. 4. §. 9. p. 1120.
(*d*) In *Sermone Exhortatorio ad templi milites*, fol. 99. ſq.
(*e*) In *Sermone* LXXX. *ſuper Cantic.* fol. 182. I.
(*f*) In *Actis Sanctorum*, ad IV. Kal. Jun.
(*g*) De *Recta Patrum Nicaenorum Fide*, p. 124. ſq.

Digitized by Google

ſimulare valuit. Et quem ea aetate Pontifex Romanus fideliorem ac potentiorem nactus fuit patronum Bernhardo? Bernhardus Lothario Saxoni, in comitiis Leodienſibus, A. MCXXII. jus inveſtiendi Epiſcopos mira libertate extorſit (*h*), ut Pontifici faceret gratum. Ea enim opinione erat imbutus, qua excellentius quiddam curia Romana ne votis quidem conceptis poteſt expetere, quam ita profert (*i*): *Plenitudo poteſtatis ſuper univerſas orbis Eccleſias ſingulari praerogativa Apoſtolicae ſedi data eſt, qui igitur huic poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Eam ob cauſam eis, qui leviſſime a via Romanae doctrinae regia deflectere videbantur, procaciter inſultabat. Comprobo hoc pronuntiatum judicio, quod Bernhardus in Arnaldum de Brixia evulgavit, ita conformatum (*k*): *Brixia evomuit, Roma exhorruit, Francia repulit, Germania abominatur, Italia non vult recipere.* Num Cicero de Catilina vel Antonio gravius ſentire & dicere potuiſſet? Adde, quod Bernhardus cultum Mariae & Sanctorum plus juſto & ultra limites protulerit, ſenſui myſtico praeter debitum & modum indulſerit, ignem purgatorium ac miſſas pro defunctorum ſalute reparanda propugnaverit, ac nihil fecerit reliqui, quo curiae Romanae gratus & acceptus eſſe poterat. Adjungam in praeſens illud ejus de beatiſſimae Mariae potentia & poteſtate elogium, de qua ſic (*k*) diſſerit: *Aſcendens ergo in altum virgo beata, dabit ipſa quoque dona hominibus. Quidni daret? ſiquidem nec*

(*h*) CONRADUS *Urſpergenſis*, p. 277. ARNALDUS *Bonaevallenſis Abbas*, c. I. §. 5. p. 1094. Volum II. Tom. VI. Opp. Bernhardi, a Benedictinis adornatorum.

(*i*) Ep. 131. fol. 219. E.

(*k*) Sermone in *Aſſumtione Mariae Virginis.*

facultas ei deesse poterit nec potestas. Regina coelorum est, misericors est. Denique mater est unigeniti Dei filii. Nonne hinc, obsecro, satis patet, Bernhardum auctoritatem & doctrinam, sedi Romanae tunc propriam, ardentissime propugnasse, adeo ut in dissentientes vel ferendos vel expiscandos vel mansuete docendos patientia omni fuerit destitutus.

§. IV. JOANNES ALPHONSUS TURRETTINUS, vir encomio meo superior, ingenue largitur (*l*), origines Waldensium Petro Waldo esse antiquiores, ratus, eos Clericos, qui secundum edicta Pontificum Leonis IX. Nicolai II. & Gregorii VII. dimittere uxores Mediolani recusabant, ab Ecclesiae Romanae consortio secessisse, ac in loco, Pataréa dicto, peculiares sibi instituisse conventus. Quam fuisse Patarinorum, seu Valdensium, saeculo XII. medio notissimorum, originem; ipse existimat (*m*) verisimile. Originem eorum altius repetit Ven. ISAACUS BEAUSOBRIUS (§. 2.) Id unum in Turrettini opinione mihi videtur invicem repugnare, quod Patarini matrimonium, Clericorum quoque, Deo probari contendebant, Waldenses vero Manichaeismi labe laborare existimabantur, in quos quippe convicia ab insectatoribus conjiciebantur, a contemtu & damnatione matrimoniorum desumta. Calumniae solent veri speciem praeferre, quam actio prorsus contraria suppeditare fingentibus vix potest. Promisit nobis Cel. Beausobrius accuratam de Waldensibus concinnatam historiam, eoque fine, in modum prolusionis, edidit *Tomum primum Historiae Criticae de Ma-*

(*l*) In *Historiae Ecclesiasticae compendio*, p. 149.
(*m*) Ibidem, p. 137. ſq.

Manichaeo & Manichaeiſmo, gallice adornatam editamque Amſtelodami 1734. 4. Adſpiret Deus viro tam eximio vitam vireſque, ut ne fidem datam migrare cogatur! Nam ſine ullo dubio omnes ſcriptores multis poſt ſe paraſangis relinquet, qui hiſtoriam de Waldenſibus dederunt, nominatim JOANNEM LEGERUM, qui ſcripſit librum: *Hiſtoire Generale des Egliſes Euangeliques des Vallées de Piemont, ou Vaudoiſes*, Leidae, ſeu Lugduni, 1669. fol. & alium, *Hiſtoire des Vaudois*, in cujus Lib. II. cap. 20. 22. 23. originem Waldenſium a Claudio, Taurinenſium Epiſcopo, ante medium ſeculi IX. florente, repetit. PETRUM porro AEGIDIUM (Pierre Gilles,) cujus liber exiit in vulgus, Gallice inſcriptus: *Hiſtoire Eccleſiaſtique des Egliſes Reformées, autrefois appellées Egliſes Vaudoiſes*, Genevae 1644. fol. nec non PETRUM PERRINUM, conditorem *Hiſtoriae de Waldenſibus*, & ea, quae in FLACII *Catalogo teſtium veritatis* Germanico occurrunt p. 263—277. ne quid dicam de AEGIDII STRAUCHII Diſſertatione, *de Waldenſibus*, Vitebergae 1659. ventilata, aut de JOANNIS CONRADI DANNHAUERI Diſſ. de *Eccleſia Waldenſium*, *Orthodoxiae Lutheranae teſte & ſocia*, Argentorati A. 1668. 4. publici juris facta. In praeſens in id intendimus animum, ut origines Waldenſium antiquiores eſſe oſtenderemus, quam eae ſolent plerumque exiſtimari.

XI. MELETEMA,

Quo demonſtratur, hoc univerſum ex non exſiſtentibus, ἐξ οὐκ ὄντων, a Deo eſſe productum, *ad Ebr.* XI. 3.

SYNOPSIS.

§. I. *Quid Graeci intellexerint per* ὄντα *&* οὐκ ὄντα.

§. II. *Paulus alio ſenſu* τὰ μὴ ὄντα, *&* ὄντα *poſuit*, Rom. IV. 17.

§. III. *Creatio univerſi ex Chao cum fortuita Epicuri rerum origine explodituv.*

§. IV. *Mundus eſt res compoſita.*

§. V. *Quid ſit ſimplex?*

§. VI. *Compoſita conſiſtunt tandem ex individuis ſeu ſimplicibus.*

§. VII. *Mundus conſiſtit ex elementis ſimplicibus.*

§. VIII. *Simplex eſt vel infinitum, vel finitum.*

§. IX. *Subſtantia infinita, & ea ſimplex, eſt ſolus Deus.*

§. X. *Simplicia e quibus conſtat mundus, ſunt finita.*

§. XI. *Simplicia finita nec ex ſimplicibus aliis, nec ex compoſitis oriuntur.*

§. XII. *Mundus oriri non potuit per emanationem ſui ex Deo.*

§. XIII. *Nec mundus prodiit ac exſiſtere coepit caſu fortuito.*

§. XIV. *Simplicia mundi elementa ſunt naturae contingentis.*

§. XV. *Ideoque nec per ſeſe propriamque vim, nec immutabiliter exſtiterunt.*

§. XVI. *Simplicia mundi elementa, producente Deo, exſiſtere coeperunt.*

§. XVII. *Deus ſimplicia mundi elementa ex nihilo creavit.*

§.

Digitized by Google

§. XVIII. *Simplicia pertinent ad classem possibilium.*
§. XIX. *Simplicia, e quibus coaluit mundus, Deo semper fuerunt praesentissima ac notissima.*
§. XX. *Simplicia per sese visum fugiunt.*
§. XXI. *Exponitur emphasis, qua Deo tribuitur potestas evocandi ac arcessendi ea, quae non exsistunt, haud secus ac ea, quae exsistunt.*
§. XXII. *Mundus ex nihilo fuit a Deo creatus.*
§. XXIII. *Solvitur objectio, inde desumta, quod invisibilia vocantur ἀιώνια, II. Cor. IV. 18.*
§. XXIV. *Solvitur alia objectio, ex eo depromta, quod fide dicamus demum nosse, mundum ita creatum esse, ut conspicua exstiterint ex non conspicuis.*
§. XXV. *Definiuntur eventus naturales ac supernaturales.*
§. XXVI. *Ortus simplicium ad eventus supernaturales est referendus.*
§. XXVII. *Corollaria adduntur duo, nempe Naturalistis admittenda esse miracula, ac Philosophis frustra exprobrari, quod propendeant ipsi ad abnuenda miracula.*
§. XXVIII. *Usus monadologiae exponitur.*

§. I.

Graecorum Philosophi ea vocarunt τὰ ὄντα, quae in rerum universitate sunt durabilia, immota, stabilia & ita comparata, ut persistant formamque suam retineant; e contrario eidem voluerunt, ea, quae figuram facile exuunt, quae fluentia, mutabilia, & ab una forma ad alteram brevi abeunt, dici ac existimari τὰ μὴ ὄντα (a). Quam ob

(a) Ven. *Joannis Laurentii* MOSHEMII *Diss. de Creatione*

ob cauſſam adprime veritati eſt conſentaneum, veteres non ideo creationem mundi ex nihilo reputaſſe pro vera, quod mundi partes aliquas ſtatuerunt ex non-exiſtentibus eſſe ductas ac protractas Ecquis eſt, qui ullum a ſacris Judaicis ac Chriſtianis alienum Philoſophum docere poſſit creationi ex nihilo peractae ex animo faviſſe? Verba quidem ipſorum, ſi ea extra complexum orationis expendas ac notionibus noſtrae aetatis ſubjicias, videntur aliquid altius ſpirare, nec a conſultis noſtris, quibus mundum ex nihilo coepiſſe decernimus, abhorrere. Quam primum vero verba ipſorum, pro boni interpretis officio, ex colligatione ac compage ſententiarum, quas ipſi Philoſophi prae ſeſe ferebant, exponimus, nihil reſtat, unde ulla cum veri ſpecie colligere poſſimus, illos, mundum ex nihilo creatum fuiſſe, eſſe arbitratos.

§. II. Divinus Paulus Deum, in quem fiducia Abrahami firmiſſima recubuit, deſcribit, ab effectu ſingulari ac extraordinario inſtructum. Vocat ipſum (*b*) *ζωοποιοῦντα τοὺς νεκρὺς καὶ καλοῦντα τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα*, *Impertientem vita mortuos, ac vocantem ea, quae non exſiſtunt, quemadmodum ea evocat & exſiſtere jubet, hoc vel illo modo, quae jam exſiſtunt.* Reſpicit legatus Dei ad Abrahamum, qui Iſaacum unicum filium, juſſu ſupremi domini, erat immolaturus, convictus certoque perſuaſus, Deum, ut promiſſionem ſemel datam ſervaret, mortuo iterum eſſe vitam largiturum. Confer. Ebr. XI. 19. De mortuis adhibent Ebraei & Graeci formulam loquendi: *οἱ ἐκ-*

ſione ex nihilo, §. 7. p. 964. ſqq. in Radulphi Cudworthi Syſtemate intellectuali hujus univerſi, Jenae 1733. fol.

(*b*) Rom. IV. 17.

οὐσί, *non exſiſtunt*. Jer. XXXI. 15. Matth. I. 18. Clariſſimus TOBIAS ECKHARDUS, Gymnaſii Quedlinburgenſis Rector meritiſſimus, idem (*) comprobavit. Paulus vim Dei, qua mortuos poteſt in vitam revocare, incrementō dictionis exornat. Is enim, qui ea, quae non exſiſtunt, exſiſtere tamen poſſunt, nulla in contrarium obvia contradictione, poteſt exſiſtentia reddere, omnino idem mortuos quoque valet vitae rurſus reddere. Planum itaque eſt ex hoc loco, Deo propriam eſſe illam facultatem, qua poteſt ea, quae non exſiſtunt, ideoque non ſunt conſpicua & ſpectabilia, exſiſtentia reddere & ex nihilo creare.

§. III. Graecorum ac Latinorum Philoſophi, a ſacris verae revelationis disjuncti, rudem & indigeſtam quamdam molem, ſeu Chao, putabant nunquam non exſtitiſſe, Deoque vix eam reſervabant gloriam facultatis, qua valet ex informibus facere ea, quae formam habent & vitam. Epicurus tandem, ex mutuo particularum & fortuito particularum Chaos concurſu mundum exſtitiſſe, praecepit, ac Deum a mundi productione excluſit (*c*). Non vacat jam ad ea divagari & excurrere expendenda, quae ſocii *Hiſtoriae Univerſalis*, Anglice elaborandae, in Tomo

(*) In *Obſervationibus Philologicis ex Ariſtophanis Pluto*, p. 104. G. RAPHELIUS, in *Notis ex Polybio*, p. 33. & ex *Xenophonte*, p. 6. *Jacobus* ELSNERUS, *Obſ. Sacr.* p. 6. ſq. PFOCHENIUS, de *Stilo N. T.* §. 37. ALBERTI, *Obſerv. Philol.* p. 11. PRICAEUS, *ad Matth.* II. 18. Tom. V. *Critic. Anglic.* p. 2226. *M. Carolus Henricus* LANGIUS, in *Proluſione Obſervationum Philologicarum in Novum foedus, ex Euripide collectarum*, p. 12. ſq.

(*c*) PETRUS BAELIUS, in *Dictionaire Hiſtorique Critique*, ſub voce EPICURUS, Tom. II. p. 1082. ſq. ed. 1720. Roterdam.

I. operis ſui larga manu effuderunt. Conſtitui enim ac deliberatum cum animo habeo, argumenta adferre Philoſophica, quibus creatio ex nihilo extra controverſiam & dubitationem ponitur. Pateſcet hinc monadologiae, ſeu doctrinae, quae de ſimplicibus rerum elementis agit, uſus & ſplendor longe pulcherrimus. Liceat omittere ea, quae ei, qui hanc doctrinam credunt eſſe implicatam nimis vel infrugiferam, reprehendere, vel adſenſu ſuo indigna exiſtimare ſolent. Res ipſa ac ejus tractatio vindicabit doctrinae illius utiliſſimae contemtum.

§. IV. Id, quod vocamus *Mundum*, e diverſis compoſitum concretumque partibus videmus & ſentimus. Conſtat enim ille e corporibus, tum totalibus tum partialibus. Quum autem ea, quae exſiſtunt, poſſint eſſe vel ſimplicia, vel compoſita, ac tertium haud detur, itaque omnino perſpicuum eſt, mundum ad ea, quae vocantur compoſita, eſſe referendum.

§. V. *Simplex* id vocamus, quod e partibus haud eſt compoſitum, ac in quo ſucceſſioni, vel tranſpoſitioni, vel motui inteſtino non eſt locus. Simplex aliud phyſice, aliud metaphyſice, expenditur. Partes ſimilares ac integrantes ultimae, quae ad formae & eſſentiae conſtitutionem in eis, quae perhibemus compoſita, concurrunt ac exiguntur, dici ſolent a nonnullis ſimplices. Sed ea vocis ſignificatio ac poteſtas eſt phyſica, de qua in praeſens nihil videtur eſſe proferendum. Id vero, quod metaphyſice eſt ſimplex, jam expendimus, quodque prorſus eſt individuum, nullis amplius fetum particulis, diviſionem ulteriorem omnino reſpuens. Cogitari certe ac animo repraeſentari poteſt res ejuſmodi

ſim-

ſimplex. An revera exſiſtat, id jam porro venit in cenſum.

§. VI. Ponamus, aliquid eſſe e partibus compoſitum atque conflatum. Fingamus porro, partes illas dividi ac ſeparari invicem. Quaerimus merito, an particularum numerus, e quibus totum conſiſtit, ſit finitus, an ſit infinitus? Finge, particulas eſſe innumerabiles, eaſque, licet millenas ſemper ab integro ſeparaveris, manere aeque innumerabiles, atque eae erant antea. Finge, totum unum majus comparari cum minori. Corpora certe ſingula non ſunt ejuſdem magnitudinis. Si igitur corpus unum dimidiae magnitudinis, de cetero ejuſdem naturae & indolis, comparatur cum corpore, cui dupla eſt magnitudo; nihil reſtabit, niſi ut credas, unum ex hiſce corporibus eſſe aeque magnum, atque alterum, ſi ſtatueris, corpora compoſita ex eis conſtare particulis, quarum numerus iniri finirique non poſſit. Quis vero non ſtupebit, ſimulac audierit, dimidium eſſe toti aequale, cujus eſt pars & ſegmentum? Accedit, quod progreſſus cauſſarum materialium, in infinitum patens, admittitur, ſimulac exiſtimamus, ea, quae e partibus ſunt compoſita, ita eſſe complicata & contexta, ut ad minimas unquam partes, ultra quas nulla amplius fieri poteſt diviſio, non liceat pervenire. Sed quis ignorat, cum principio rationis ſufficientis eam cauſſarum progreſſionem ſtare haud poſſe. Quae quum ita ſint, nihil eſt reliquum, *compoſita*, quae vocamus, *conſtare e particulis tandem individuis*. Ea autem, quae ſunt individua nec amplius ulla ratione coaluerunt, dici *ſimplicia*, (§. 5.) jam antea monui, ac nunc illud addo, *ea, quae ſunt compoſita, revera conſiſtere ex ſimplicibus ſimul exſiſtentibus*. Erravit omnino ARI-

STOTELES, qui, tradente Cicerone (*), infinite ſecabilia & dividua admiſit.

§. VII. Quaecunque e partibus phyſicis ſunt compoſita, ea conſiſtunt tandem ex meris ſimplicibus (§. 6.) Mundum vero eſſe ejusmodi aliquid, quod compoſitum eſt vocandum, ipſa teſtatur experientia (§. 4.) Quam ob cauſſam, mundum tandem ex meris ſimplicibus conſiſtere, infitiari haud licet.

§. VIII. Ut decernamus porro, quid ex hoc pronuntiato colligi poſſit, ſimplex illud quodcunque eſt propius conſiderandum atque perpendendum. Quare, quum ſubſtantiae ſint vel infinitae, vel finitae, eapropter ſimplices ſubſtantiae pariter in finitas & infinitas poſſunt dividi. *Infinitum* dicitur, quod perfectionibus ſingulis, quotquot exſiſtere ſimul poſſunt, eſt citra ullam virium ſucceſſionem inſtructum. *Finitam* vocamus eam ſubſtantiam, quae viribus nonnullis eisque ſuccedentibus eſt inſtructa.

§. IX. Qui argumentum a contingente partium mundi indole in numerato habent rectеque norunt evolvere, ei valent demonſtrare, exſiſtere Deum infinitum, neceſſario ſemperque exſiſtentem, aliunde haud dependentem, vi propria exſiſtentem, in quo ratio eſt praeſto, cur mundus exſtiterit. Et quum unus ille Deus ſufficiat huic univerſo & faciendo & conſervando, nec aliunde aliquid accipiat vel mutuetur, totus ſuis innitens viribus, nulla nos commovet ratio, cur plures exſiſtere credamus Deos. Addimus illud merito, Deum ex partibus haud eſſe compoſitum, ideoque ſubſtantiam ſimplicem eum

(*) *Academicarum Quaeſtionum* L. I. num. 27.

eum esse adpellandum. Quo ipso perspicitur, *substantiam infinitam*, necessario & per sese exsistentem, *dari duntaxat unam*, quae sit nec orta nec interitura.

§. X. Ea, e quibus mundus constat, ita exsistunt, ut alio etiam modo possint exsistere. Philosophi ea vocant *contingentia*, ac tradunt, ea esse finita, quae sunt contingentia. *Simplicia* proinde, *e quibus mundus coaluit, sunt finita.*

§. XI. Simplex illud unum infinitum nec oritur, nec moritur (§. 9.) At quid de simplicibus pronuntiandum sit finitis, jam dispiciemus. De origine earum sumus soliciti. Quaerimus, undenam & quomodo illa sint exorta. Ipsa enim nec necessario nec per vim immutabilem subsistunt, quippe contingentia. Ponemus itaque, vel potius indagare tentabimus, an simplicia finita coorta sint ex compositis? an ex simplicibus aliis fuerint exorta? Ex simplicibus aliis si exsistere coepissent, simplicia illa, e quibus prodiissent, fuissent simul simplicia & simul non simplicia. Numquid enim ea fuissent simplicia, dum dividi ac generare ex sese potuissent? Certum itaque est, simplicia finita ex simplicibus aliis quibuscunque oriri haud potuisse. Sed nec ea exstiterunt ex compositis, uti facile patet. Ea enim, quae sunt composita, non producere possunt, quatenus sunt composita, ulla simplicia. Eorum, quae sunt composita, ea est natura & indoles, ut inde oriantur res illae, quas vocamus compositas. Si regesseris, composita constare ex simplicibus, ac simplicia ex simplicibus orta dixeris, caussa jam dicta & lis perorata est. *Simplicia* proinde *finita oriuntur nec ex simplicibus aliis, nec ex compositis.*

§.

§. XII. Qui mundum ex Deo, tanquam materiatum ex materia, emanaſſe atque ita exortum putant, illi ſibi perſuadent, finita ſimplicia ex ſimplicibus oriri ac evolvi poſſe. Quum vero id, quod fundamenti loco ponunt, ſit falſum ac veritati adverſum (§. 11.), nil magis eſt perſpicuum, quam *mundum per emanationem ex Deo oriri non potuiſſe.* Ven. JOACHIMUS LANGIUS (*d*) & JOANNES FRANCISCUS BUDDEUS (*e*) emanationis hujus commentum repudiarunt, ac, argumentis in medium adlatis, e circulo Philoſophorum exterminarunt. Poſterior addidit: *Qui creationem per emanationem explicant, in eam ſententiam facile abripi poſſunt, ut id, quod emanat, ejusdem cum principio, a quo emanat, eſſentiae eſſe exiſtimantes, diſcrimen, quod creatorem inter & rem creatam intercedit, tollant & ita in Spinozismum praecipites ruant.* Idem praeclare ita diſſeruit in alio loco: *Si quis, cum Spinoza, creationem ſaltem in modificatione quadam eſſentiae divinae conſtituat, tum ſane, ſine mutatione eſſentiae divinae, nulla ratione concipi poterit. Id quod & de illorum obſervandum ſententia, qui creationem per emanationem quandam ex eſſentia divina explicare adgreſſi ſunt.* Nos ita argumentamur & rationes ſubducimus: Quidquid ex ſeſe nihil decerpere ac dividere poteſt ad conſtituendum alterum quoddam, plane a ſe diverſum, illud non eſt cauſſa exorti mundi per emanationem. Nam quis ambigit, ſimplicia ita eſſe comparata, ut ſint individua? Qui vero norunt ac habent compertum, Deum nec interire per ſeſe, nec diſſolvi poſſe, ſiquidem neceſſario & ſemper exſiſtit, ei, eum non eſſe

(*d*) In *Cauſſa Dei*, Tom. I. p. 205. ſq.
(*e*) In *Inſtitutionibus Theologiae dogmaticae*, L. II. c. 2. §. 7. p. 356. ſq.

ſe ex partibus ullis compoſitum, nec corpus, facillime largientur. Quid hinc conligitur? Quid hinc efficitur? Nihil aliud, opinor, niſi Deum eſſe ſubſtantiam ſimplicem. Id vero ex eis, quae adlata ſunt, nondum patet, Deum ſcilicet generare non poſſe. Quid enim ſit generatio ejuſmodi, de eo notionem tenemus ſubobſcuram.

§. XIII. Si dicimus, mundum ex nihilo eſſe creatum, tum nihilum illud non reputamus pro cauſſa & materia, cur & unde mundus fuerit exortus. Id enim, quod vocatur *nihilum*, denotat aliquid, quod duntaxat cogitatur, ſed non exſiſtit. Sufficiens certe rei exſiſtentis ratio non eſt in nihilo, ſiquidem inſulſum dictu & judicatu abſurdum eſt, defectum lucis, ſeu lucem non exſiſtentem, eſſe rationem ſufficientem, cur lux exſiſtat vel exoriatur. Nimirum, ſi in nihilo eſſet ratio ſufficiens exſiſtentiae Entis alicujus, tum id, quod vocamus nihilum, ageret & aliquid efficeret, atque eo ipſo, ſi ageret, exſiſteret quoque. At quid hinc tandem conſequitur? Nonne hinc colligitur, nihilum eo pacto, quia agit, eſſe aliquid exſiſtens, ac nihilominus, ob definitionem, eſſe aliquid, quod revera non exſiſtit. Hactenus itaque perſpicuum eſſe credo, mundum nec per ſeſe exſtitiſſe, quia ad ſeriem contingentium eſt adſcribendus, nec ex nihilo, tanquam materia vel cauſſa, ſeu ratione ſufficiente, eſſe productum. Et eadem ratione, mundum caſu nec coepiſſe, nec primordium capere potuiſſe, facile poteſt evinci ac demonſtrari. Quid enim eſt *caſus*, *hazard?* Numquid eſt caſus aliud quid, ac negatio rationis? Si igitur arbitraris, mundum exſtitiſſe caſu & fortuito eventu, tum tibi aliiſque, nihilum conſtituere rationem rei

exſiſtentis ſufficientem, ſtudes perſuadere (*f*). Sed eam fictionem jam removimus, ac ſatis profligatam eſſe autumamus. Recolimus itaque animo dicta, ac decernimus, *mundo nec in nihilo nec in caſu fortuito eſſe rationem ſufficientem.* Addimus, *mundum neque ex nihilo, pro materia accepto, neque caſu fortuito eſſe exortum.*

§. XIV. Simplicia illa, e quibus mundus eſt compoſitus, alium aliumque ordinem coëxſiſtendi inter ſeſe obtinere poſſunt, ac eam conſtituunt compagem, quae in claſſem rerum contingentium refertur. Quare ſimplicia illa ipſa ſunt res contingentes, hoc eſt, ejus naturae, qua exſiſtere, non exſiſtere, hoc pacto exſiſtere, aliter exſiſtere, poſſunt.

§. XV. Simplicia, quae natura ſunt contingenti, per ſeſe aut neceſſario aut immutabiliter non exſtiterunt. Repugnat notio contingentiae. At ſimplicia illa, e quibus hoc univerſum coaluit, contingenti ratione (§. 14.) exſiſtunt. Quo ipſo intelligitur, ſimplicia eadem nec per ſeſe propriamque vim, nec neceſſario, nec immutabiliter exſtitiſſe.

§. XVI. Simplicia tamen illa, e quibus conſtat mundus, exſiſtere coeperunt, quum antea non exſiſterent. Singula enim ea, quae contingenti modo exſiſtunt, rationem ſui ſufficientem in alia ſubſtantia extra ſeſe habent, quae, ſiquidem progreſſus cauſſarum contingentium eſt terminandus, nec in infinitum re ipſa porrigi poteſt, non aliunde dependet. Ut verbo dicam, *ſimplicia, e quibus coaluit mundus, exſiſtere coeperunt, producente Deo.*

§.

(*f*) Ven. GEORGII BERNHARDI BÜLFINGERI *Dilucidationes Philoſophicae de Deo, Anima humana, Mundo*, ſect. IV. §. 392. 393. p. 425. ſq.

Digitized by

§. XVII. Simplicia contingentia nec ex ſimplicibus aliis, nec ex eis, quae vocantur compoſita, fieri potuerunt (§. 11.) Quid igitur ſupereſt, quid reſtat, niſi ut perhibeamus, Deum ea ſimplicia, quae non exſiſtebant, exſiſtere tamen poterant, complemento exſiſtentiae impertiviſſe. Sed quid hoc eſt aliud, ac *Deum ea ex nihilo creaviſſe?*

§. XVIII. Ea, quae contradictionem involvunt, vocantur impoſſibilia. Impoſſibilia exſiſtere non poſſunt, nec omnipotentia ad ea, quae vel per ſeſe, vel ratione agentis impoſſibilia ſunt, patet. Adjungo idcirco illud, quod exinde colligendum eſt, ſimplicia illa, quae Deus ex nihilo creavit, fuiſſe e numero rerum earum, quae vocantur poſſibilia, & quae nullam involvunt contradictionem.

§. XIX. Quum Deus ſit ſubſtantia infinita, ac intellectu praeditus exſiſtat infinito, ideo omnia & ſingula poſſibilia ei ſunt notiſſima. Et quî ille, qui omnia agit ſapientiſſime, creare poſſet aliquid, cujus indolem ac intimam naturam non habuiſſet percognitam? Deus certe nihil addiſcit novi, quippe ſemper & perpetuo infinitus. Qui enim aliquid reſciſcunt, quod non norant antea, qui addiſcunt aliquid, eorum intellectus eſt finitus. Quae quum ita ſint, infitiari non licet, *ſimplicia, e quibus coaluit mundus, Deo ſemper fuiſſe praeſentiſſima & notiſſima.*

§. XX. *Simplicia non adparent interventu organi ſenſorii.* Quae enim viſu adtinguntur, ea angulo efformando apta eſſe debent. Angulus autem eſt declinatio lineae a linea: & id, quod angulum praebet, eſt compoſitum quoddam. Simplicia itaque, e quibus exortus & fabricatus fuit mundus, per ſeſe non adparent, non cernuntur, viſum fugiunt.

Sed

Sed mundus non exſtitiſſet, niſi Deus creaſſet ex nihilo ſimplicia illa (§. 16.), e quibus coortus eſt ac coaluit mundus (§. 6.) Demonſtravimus itaque, mundum ex eis, quae non adparent, ἐκ τῶν μὴ φαινομένων, a Deo eſſe compoſitum ac factum. Ac haec eſt illa doctrina, illa perdifficilis explicatu ſententia, quam nobiſcum communicavit Dei legatus ac interpres, Ebr. XI. 3.

§. XXI. Qui vocat quempiam, ut pro arbitrio ejus aliquis praeſto ſit, accedat, recedat, is curate novit eum, quem nutu ſuo dirigit. Facile proin intelligimus, quid Paulus dicturus fuerit, quum Deus, ipſo judice, vocatur is, qui vocat & arceſſit ea, quae non exſiſtunt, haud ſecus ac ea, quae exſiſtunt, Rom. IV. 17. Indicavit ea deſcriptione infinitas Dei vires, quae poſſibilibus in actum & ad exſiſtentiam deducendis ſufficiant. Indicavit ea deſcriptione infinitum Dei intellectum, cui omnia poſſibilia ſunt longe notiſſima & perſpectiſſima (§. 17.) Indicavit ea deſcriptione Deum creatorem ex nihilo ſingula, pro arbitrio & nutu ſuo, architectatum.

§. XXII. *Mundus ex nihilo a Deo fuit creatus.* Mundus enim eſt compages, ex variis partibus ultimiſque ſtaminibus, ſeu ſimplicibus, compoſita (§. 6.) Omnes partes ſimul ſumtae conſtituunt totum, ac ſingula ſimplicia, quae exſiſtunt & ſunt finita, complectuntur ac efficiunt mundum. Sed ſimplicia illa finita univerſa ex nihilo per Deum ſunt producta (§. 16.) Quid itaque magis eſt perſpicuum & credibile, quam mundum ex nihilo fuiſſe creatum. Illuſtris ille *Gothofredus Guilielmus* LEIBNITIUS hoc demonſtrationis filum probe perviderat, quemadmodum ex ejus *Monadologia*, §. 6. ſqq.

Digitized by Google

ſqq. perſpicitur. Repetierunt vel latius deduxerunt alii eam demonſtrationem (g). Mihi ea potiſſimum fuerunt curae cordique, quae in ſacris litteris occurrunt, tum ut demonſtrarem, ea, quae indidem de creatione leguntur, veritati reſpondere, tum ut oſtenderem, quanta injuria nonnulli monadologiam, ſeu illam de ſimplicium natura doctrinam, ad ineptias vel commenta referant.

§. XXIII. Objectionem praevideo, quae ex Pauli verbis mihi opponi poteſt. Maximus enim & illuſtriſſimus hic Dei interpres ea, quae non adparent, vel videri non poſſunt, vocavit αἰώνια, II. Cor. IV. 18. Si aeternam nec unquam ceſſaturam durationem per vocem αἰώνιος intelligimus, nihil obſtabit, quo minus ſimplicia, quippe quae non adparent oculo (§. 19.), credamus eſſe ſempiterna, ſemper exſtitiſſe, ac nunquam non eſſe exſtitura. Verum ſalva res eſt. Αἰὼν denotat durationem, cujus finis ac initium intellectui finito latet, ſive deſit, ſive adſit finis ac initium. Qui vocis uſum ex locis, in quibus ea adhibetur, rimati fuerint, ei, me ea tradere, quae veritati congruunt, largientur. Αἰώνια itaque ſunt ſimplicia, ſiquidem vis finiti intellectus non eo uſque valet, ut is definire poſſit, ante quot chiliadas annorum Deus ſimplicia produxerit, vel quouſque ſimplicia finita vel univerſa vel ex parte ſint exſtitura? Cui, quaeſo, datum eſt, numerum illum adſequi ac puncta illa temporis determinare?

§. XXIII. Objici mihi praeterea poteſt, mun-

(g) *Chriſtianus* WOLFIUS, in *Annotationibus Metaphyſ. Germanicis.* §. 404. p. 597. ſq. BULFINGER, l. c. Sect. IV. c. 4. §. 459. p. 522. ſq.

dum ex non conſpicuis factum eſſe, ea quidem ratione, ut illud demum per adſenſum, revelato verbo divino impertitum, intelligi ac menti informari poſſit. Interpres enim ſupremi Numinis dilucide ita tradit: Πίστει νοοῦμεν κατηρτίσθαι τοὺς αἰῶνας ῥήματι Θεοῦ εἰς τὸ μὴ ἐκ φαινομένων τὰ βλεπόμενα γεγονέναι, *Per fidem intelligimus, inſtructas eſſe, incognitas nobis, ſaeculorum periodos decreto Dei, eo pacto, ut conſpicua non ex conſpicuis exſiſterent.* De creatione omnium rerum diſſerit haec & pronuntiat Apoſtolus. Ipſe enim ab ovo uſque ad mala hiſtoriam Veteris Teſtamenti exſequitur. Καταρτίσεις ac καταρτισμὸς *perfectionem rei*, ſeu *actum perficientem* denotant. II. Cor. XIII. 9. Eph. IV. 12. Quare vox καταρτίζειν, ad actionem Dei deſignandam transducta, indicio eſt, Deum accurate, pulchre, fini tanto convenienter, plene & perfecte feciſſe rerum periodos, quarum puncta & ineuntia & finientia nobis per finiti intellectus noſtri regulas ſunt incognita. Senſum vocis hunc animadvertimus innoteſcere ex exemplis, quae Matth. IV. 21. XXI. 16. Ebr. XIII. 21. I. Pet. V. 10. II. Cor. XIII. 12. Gal. VI. 1. memoriae repraeſentantur. Auctor epiſtolae, ad Hebraeos ſcriptae, Deum perhibet feciſſe τοὺς αἰῶνας c. I. 2. hoc eſt, *rerum ſingulares periodos, mundo inſertas.* Indicatur eo ipſo, mundum a Deo eſſe creatum, ſiquidem mundus illas periodos complectitur, quae, citra mundum, ac niſi mundus exſiſteret, non eſſent exſtiturae. Ne quid in vocibus videretur obſcurum vel ſcopo adverſum, ea propter haec paucula libuit interfari. Nunc propius ad objectionem diluendam nos accingemus. Et primo quidem multa ſunt, quae tum ex rationis principiis ac latifundiis demonſtrantur, tum ex verbo, divinitus patefacto, ſimul

pro

pro veris habentur. Unum enim lumen alteri non valet offundere tenebras. Deum exſiſtere, ob argumenta e penu rationis deſumta, certo ſcio; nec minus, idem, ob ejuſdem Dei dicentis auctoritatem, verum eſſe, pie meritoque credo. Sed, ut hac ratione nodum ſolvamus, non eſt opus. Adſenſus enim ille, quem in verbum Dei patefactum collocamus, eo nos deducit, ut credamus ac pro vero reputemus id, quod in ſacris litteris de caligine, lucem praecedente, in recenſione creationis, ediſſeritur. Ubi enim res poſſunt cerni viſuque perluſtrari, ibi lucem adeſſe oportet. Ubi vero ſunt *μὴ βλεπόμενα*, *ea*, *quae viſum fugiunt*, ibi lucem ſufficientem deeſſe, eſt in confeſſo penes omnes. Apoſtolus lectorem edocet, mundum adſpectabilem exſtitiſſe ex inſtructa mole primum obſcura & caliginoſa. Nemo eſt tanto rationis lumine inſignis, ut, ſepoſito ſacro Codice, id demonſtrare ſuſtineat, quod mundus, recens creatus, circa primordium, luce caruerit, & quod caligini, undique dominanti, ſucceſſerit lux, mortalibus exoptatiſſima. Nonnihil intervalli ac temporis inter tenebras illas & lucem interceſſiſſe, nemo facile ambiget. Paulus certe, I. Cor. VI. 6. virtutes Dei praedicaturus, hoc etiam adjungit, quod Deus in creationis exordio juſſerit, *ex tenebris lumen ſplendere* (*ἐκ σκότους φῶς λάμψαι*). Quomodo hoc potuiſſet pronuntiare, niſi tenebrae anteceſſiſſent eiſque ſucceſſiſſet lumen? Gemina idcirco ratione Deus tenebras rebus primo indidit, tum in ſimplicibus per ſeſe conſideratis, tum in mole inde concreta, caliginoſa ſub initio & obſcura. Cur utramque rationem heic non liceat conjungere, nullam, quae obſiſtat, invenire poſſum rationem.

§. XXV. *Eventus naturalis* dicitur ille, qui ex-

plicari poteſt ac rationem ſufficientem habet in eis, quibuſcum id, quod accidit, vel in ſucceſſus, vel in coëxſiſtendi ſerie cohaeret. *Eventus ſupernaturalis* eſt ille, qui e nexu rerum, ſeu curſu naturae, viribuſque rerum finitarum non eſt explicabilis. Eventum ſupernaturalem alias *miraculum* adpellare conſuevimus.

§. XXVI. Ortus ſimplicium, excepta ſubſtantia ſimplici infinita, ad eventus ſupernaturales eſt referendus. Simplicia enim nec ex aliis ſimplicibus, nec ex compoſitis oriri potuerunt. Ipſa ſeſe produxiſſe qui ſomniaret, contradictionem manifeſtam non poſſet non admittere. Simplicia, itaque ex nihilo orta ſunt, hoc eſt, fuerunt poſſibilia, nec tamen exſtiterunt, ac deinde exſiſtere coeperunt. Quomodo ea, quae non exſiſtunt, poſſunt vel ſibi, vel aliis exſiſtentiam largiri? Solus Deus eſt ille, qui exſtitit aeternum & per ſeſe. Ille ſimplicia, quae non exſiſtebant, exſiſtere juſſit. In ortu ipſorum nihil a nobis poteſt diſtingui. Modus illius originis nobis eſt incognitus. Quid enim in eo diſtingues, quod non per tranſpoſitionem partium, quibus illud caret, ſed ſimul ac in unico puncto exoritur ac primordium capit? Quaenam vis fuit in ſimplicibus mere poſſibilibus, quae ipſis potuerit originem ſuppeditare? numquid ea, quae non exſiſtunt, ullam vim continent? Vis eſt eis propria, quae exſiſtunt. Eventus proinde, quo ſimplicia ſunt exorta, non fuit naturalis. Quid tum? Supereſt nihil, quam ut origo ſimplicium adſcribenda ſit ad eventus ſupernaturales, ſeu miracula.

§. XXVII. Deducere ac derivare liceat ex eis, quae diſputavimus, unum atque alterum corollarium. Primo in ea verſor ſententia, Theologiae Na-

Naturalis cultores, ſeu Naturaliſtas, nulla cum veri ſpecie docere poſſe, miracula nec dari, nec poſſe dari. Undenam enim, ſimplicia finita exſtitiſſe per miraculum, demonſtravimus, niſi ex doctrinis illis, quibus Theologia Naturalis eſt ſuperſtructa? Secundo anticipatam eorum noto opinionem, qui Philoſophos, demonſtrationis ſolidae amatores, exiſtimant miracula in dubium revocare, vel evertere. Video autem & ſentio pervagatae hujus ſententiae fundamentum. Qui rationem, ſibi inſitam, minus excolunt, id omne putant rationi humanae eſſe impervium & faſtidioſum, quod rationi ipſorum eſt praecluſum & ingratum. Nonnulli, qui auctoritate eminent ac ſcientiarum ſplendorem ſibi adfulgere fingunt, invidia ducuntur & malitia, ut Philoſophos prae ſeſe contemnant, ipſos ſupplantare velint, ac procul eſſe ſtudeant rigidos demonſtrationum ſatellites, ea quidem mente, ut ſuis quiſquiliis pretium ponere poſſint, id in primis ſpectantes, ut dictis tantorum virorum univerſus eruditorum, vel caecorum, orbis faſces ſubmittat.

§. XXVIII. Uſus monadologiae ex hiſce, quae diſſerui, ſatis, niſi fallor, perſpicitur. Ex eis enim conſultis, quae ex monadologia deſumenda ſunt, intelligimus, rationi humanae creationem mundi ex nihilo non ſordere, ſed potius perquam eſſe conformem. Ex monadologia patet ac dilucet, miraculorum auctorem eſſe Deum, miracula a Philoſopho everti non poſſe, definitionem, quam de miraculo ſuppeditant Theologi, eſſe veram & Philoſophicis doctrinis reſpondentem. Si qui vero Philoſophi tam tenuiter leviterve de Deo ſenſerunt, ut miracula ab eo patrari poſſe, negaverint, ei nos commovent, ut miſericordia potius, quam horribili

ſcutica ipſos proſequendos eſſe judicemus. Inculcetur in poſterum majori cum diligentia inſignis illa, quam praedico, monadologia, oro quaeſoque. Id ſi factum fuerit, multi eruditorum, & praecipue Philoſophorum, de creatis ex nihilo rebus, ac miraculorum tum dignitate tum definitione, accuratius pronuntiabunt ſublimiuſque ſentient. Praevideo praeterea uſum alium, ex monadologia redundantem: Sunt enim homines, qui, nullam de ſubſtantia ſimplici notionem menti informari poſſe, ſibi aliiſque perſuadent. Quo ipſo objiciunt ſibi aliisque impedimenta, quo minus ipſi de ſimplicitate & ἀϕθαρσία Dei, de Angelorum ac Spirituum natura, de immortalitate animae, de actionibus animae, a vinculo corporis conſpicui exſolutae, de perpetuitate elementorum ſimplicium, e quibus corpora defunctorum olim ſunt renatura, de reſurrectionis indole, ad conſulta rationis humanae relata, recte ſentiant, ſeu debite ratiocinentur. Sin vero ſuum ponitur monadologiae pretium, mens ad ea ſingula curatius intelligenda, defendenda, ac docenda inſtruitur atque conformatur, quae de natura Dei, ac mentium, nec non reſurrectionis mortuorum, praeeunte Sacro Codice, exponuntur ac pertractantur. Ac hoc pacto id etiam extra controverſiam eſſe poſitum exiſtimabitur, quod Philoſophia apodictica ſit haereſium obex, ac quod ea ab imperitis & malignis perperam (*b*) vituperetur.

(*b*) *Chriſtophorus* WOLLIUS, in *Hermeneutica Novi Foederis dogmatica*, quam adjunxit Vir Celeb. *Criticae Sacrae N. T. Antonii Blackwalli*, p. 98. ſqq.

XII.

Digitized by Google

DISSERTATIO XII.

De Commentitia Tritheitarum Haereſi, Doctoribus nonnullis perperam adficta.

SYNOPSIS.

§. I. *Exſiſtit Deus unus, tres ſunt perſonae.*
§. II. *Definitio de Tritheita & Tritheiſmo.*
§. III. *Arium & Arianos Tritheiſmi eſſe accuſandos, negatur.*
§. IV. *Id quod porro oſtenditur.*
§. V. *Marcion non exſtitit Tritheita.*
§. VI. *De eis, qui, Sabellium refutaturi, tres admiſerunt hypoſtaſes.*
§. VII. *An Donatus junior, in doctrina de Trinitate ſenſerit cum Arianis.*
§. VIII. *Joannem Philoponum exſtitiſſe Tritheitam, negatur.*
§. IX. *Tritheiſmus perperam Gotheſchalco, Monacho Orbacenſi, intenditur.*
§. X. *De Petri Abaelardi ſubtilitatibus metaphyſicis.*
§. XI. *Abſolvitur a Tritheiſmo Gilbertus Porretanus, Epiſcopus Pictavienſis.*
§. XII. *Excuſatur Raymundus Neophytus.*
§. XIII. *Defenditur a Tritheiſmi macula Joachimus, Abbas Florenſis.*
§. XIV. *Excuſatur Guido, Monachus Auguſtinianus.*
§. XV. *Defenduntur ei, quorum formula loquendi inconcinna in Concilio Lambethenſi, intra Angliam, A.* MCCCLXVIII. *fuit damnata.*
§. XVI. *Defenditur Joames Monteſonus, Dominicanus.*
§. XVII. *De Valentino Gentile & Trinitariis.*

§. I.

Deus eſt infinitus ille ſpiritus, qui vi ſua perpetuo exſiſtit. Ebraei vocem יהוה ad tanti Numinis deſignandam virtutem adhibuerunt. Qui ſacrum veteris novique foederis Codicem haud ſecus, ac doctrinae amuſſim fideique noſtrae regulam, ſuſcipiunt ac venerantur, unicum Deum infinitum exſiſtere, nequaquam dubitabunt. Id enim non in uno aut altero loco, ſed ubique fere, ſacrae litterae ſignificant, tradunt, docent, inculcant. Tres enim illi, qui ſunt unum, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, non ſunt tres Dei. Deus noſter, Jehova, eſt unus. Et cur, quaeſo, plures Deos, vere ſic dictos, fide noſtra & adſenſu recipere, eſt neceſſum? Num unius potentia infinita, ſapientia inexhauſta, intellectus lucidiſſimus, bonitas infinita, ac ſcientia, omnibus numeris abſoluta, non ſufficit mundo creando conſervandoque, ac omnibus eventibus ad finem convenientiſſimum dirigendis? Num haec virtutum infinitudo diſcerpi dividique poteſt, ut unus ſit omnipotens, alter ſapientiſſimus, ac alius rurſum ſcientiſſimus? Non opinor. Deus, qui infinitus eſt, omnes perfectiones ſimul poſſideat teneatque oportet. Quomodo autem is foret infinitus, cui nonnihil perfectionis deeſſet? Quomodo is dici poſſet dominus infinitus ac ſupremus, qui ab alio nonnullas vires mutuari deberet? Quocirca in illo Homeri dicto adquieſcimus jure noſtro: Εἷς κοίρανος ἔστω, *Unus dominus eſto.*

§. II. Quum itaque & rationis ſanae & diviniorum litterarum lumen, unicum modo Deum exſiſtere, doceat, ac ſententia, quae plures Deos aeque infinitos dari perſuadet, contradictionibus ſit implipli-

Digitized by Google

plicata; nemo, niſi dubiae ſanitatis vel mentis impos, in eum prolabetur errorem, ut Deos tres aeque infinitos dari credat. Si quis minus commode mentem ſuam declaraverit, ut aliis viſus fuerit tres admittere Deos, is ideo nondum Tritheiſmi eſt reus, ſiquidem is demum *Tritheita* eſt adpellandus, qui, tres Deos aeque infinitos exſiſtere, verbis perſpicuis profeſſus fuerit. Si exſtimaveris, ſufficere id argumenti, quod a conſequentiis deſumitur, quae ex auctorum ſcriptis ſolent efformari; tum rurſus quaeritur, an conſequentiarum illarum vincula per juſtam ratiocinationis methodum conſtricta fuerint, & an conſequentiam illam, quae tres Deos aeque infinitos dari dictitat, auctor perviderit? Etenim id ſi ſuffecerit, quod ad haereſin impingendam ex conſequentiis extorquetur; tum nemo ſanctorum Apoſtolorum vel Eccleſiae Patrum a Tritheiſmo abſolvi poteſt. Nonne enim hi docent, Patrem eſſe infinitum, Filium eſſe infinitum, Spiritum Sanctum eſſe infinitum? Quodnam inde colligi ac effici poteſt? Nonne is, qui ad ea adtendit, quae ex ſententiis alicujus conſequi ac profluere videntur, arbitrabitur tres ſtatui Deos infinitos? Si porro prae te tuleris, tres dari perſonas divinas, ac perſonam ſingulam adpellari Deum, nonne aliis videberis, tres exſiſtere Deos, docuiſſe? Perplacent verba DIONYSII PETAVII (a): *Ac niſi id, quod dixi, metuendum eſſet ab Ariana profeſſione, poterant non minus enuntiari iſta ſic: Tres ſunt aeterni, tres omnipotentes: ſicut in eodem ſymbolo Athanaſiano coaeternae perſonae dicuntur. Ad hunc enim ſenſum illa revocantur: Tres ſunt, habentes aeternitatem & omnipotentiam.*

(a) L. III. de *Trinitate*, c. 8. §. 9.

Deos porro tres uſurpari ſimiliter nefas arbitror; quod non ſolum adverſus Arianos, ſed etiam contra Gentiles ea nos cautione Scripturae Sacrae praemunuunt, ut ne plures adpellemus Deos, quum ita ſcriptum ſit Deuteronomii ſexto: Audi Iſraël, Dominus Deus tuus Deus unus eſt. Quod *Auguſtinus animadvertit, Lib.* VII. *de Trinitate, cap.* IV. *Poſſent tamen non Dii tres, ſed tres Divini, id eſt, divinitate dici praediti, ſi uſus ita ferret Eccleſiae ſanctorumque Patrum.* Et negari ſane non poteſt, Patrum nonnullos paſſim incaute expreſſiſſe (*) cogitata ſua, rectiuſque ſenſiſſe, quam ſcripſiſſe. Juſtini Martyris locum (*b*) eo nomine notavit JOANNES CLERICUS (*c*), defendit autem a Clerici virgula cenſoria JOANNES LAMIUS (*d*), quam accurate & ſolide, non dixerim.

§. III. Arium ac Arianos Tritheiſmo ſtabiliendo ſtuduiſſe, tradunt veterum nonnulli. Patres Synodi Mediolanenſis, cui urbis ejusdem Epiſcopus Manſuetus praeſidebat, in Epiſtola Synodica, ad Conſtantinum Pogonatum data, ſub initio ſextae Synodi ſeſe offerente, ita de Ario ſenſerunt: *Conſtantini Magni tempore, dum peſtifer morbus, & , omni calliditate graſſantior, intolerabilis Arii tyrannis in Dei Eccleſia ſerpere coepiſſet, qui tres naturas in ſancta trinitate, hoc eſt, tres Deos, auſus eſt praedicare.* In ipſa fidei confeſſione diſtinctius mentem ſuam exponunt, *Non tres naturas introducentes, ut Arius blaſphemat, qui tres*

(*) Hoc largitur DIONYSIUS PETAVIUS, L. IV. de *Trinitate* c. 13. §. 3.

(*b*) Ex *Dialogo cum Triphone Judaeo.*

(*c*) *Hiſt. Eccl.* ad Annum CXL. num. 11. p.

(*d*) In *Diſſ. de Recta Patrum Nicaenorum fide*, c. 3. §. 14. p. 21. Venetiis 1730. 4.

tres Deos praedicavit, excellentiorem, minorem, & inferiorem. Proluſerant Ario jam nonnulli Doctores, qui ſaeculo poſt Chriſtum natum tertio floruerunt, ac, ut Sabellii dogmata propulſarent, in errorem eis oppoſitum inciderunt. Dionyſius Romanus, qui Anno CCLXIX. diem obiit ſupremum, id ipſum clare reliquit memoriae traditum. Fragmentum, veluti ex naufragio tabulam, ſervavit divinus ille Athanaſius (e). Dabo verba Dionyſii, Latine, ne faſtidioſus fiam, ſic tranſlata: " *Jam vero aequum* „ *fuerit adverſus illos diſputare, qui auguſtiſſimam Dei* „ *Eccleſiae praedicationem, MONARCHIAM, in* „ *TRES quaſdam VIRTUTES ac SEPARATAS* „ *HYPOSTASES TRESQUE DIVINITATES* „ *dividunt, diſcindunt, deſtruuntque. Audivi enim,* „ *quoſdam ex his, qui apud vos divinum verbum prae-* „ *dicant & docent, hujus opinionis magiſtros eſſe, qui* „ *quidem ex diametro, ut ita loquar, Sabellii ſenten-* „ *tiae adverſantur. Illius enim in eo conſiſtit impietas,* „ *quod dicat filium eſſe patrem, & viciſſim: illi autem* „ *tres Deos quodammodo praedicant, quum Sanctam* „ *Trinitatem in tres diverſas hypoſtaſes, inter ſe omni-* „ *no ſeparatas, dividunt. Neceſſe eſt enim, divinum* „ *verbum Deo univerſorum eſſe unitum, & Spiritum* „ *Sanctum in eo manere ac habitare, ac denique divi-* „ *nam Trinitatem in unum, quaſi in quemdam verti-* „ *cem (Deum univerſorum omnipotentem dico) reduci* „ *& colligi. Nam futilis Marcionis doctrina, quae* „ *Monarchiam in tria principia ſecat ac dividit, dia-* „ *bolica ſane eſt, non autem verorum Chriſti diſcipu-* „ *lorum, vel eorum, quibus Servatoris diſciplina placet.* „ *Hi enim Trinitatem quidem non ignorant in divina* „ *ſcri-*

(e) De *Decretis Synodi Nicaenae*, §. 26.

„ *ſcriptura praedicari, tres autem eſſe Deos, nec in Ve-*
„ *tere, nec in Novo Teſtamento, doceri. Non minus au-*
„ *tem illi culpandi ſunt, qui Filium* (ποίημα) *opus*
„ *eſſe exiſtimant & Dominum factum eſſe ſentiunt,*
„ *quaſi videlicet unum eſſet ex his, quae vere facta*
„ *ſunt.* Quibus ex verbis liquet, Marcioni quoque ſpeciem Tritheiſmi adſcriptam ac adtributam fuiſſe: Arium a praecurſoribus haud fuiſſe deſtitutum: Dionyſium ipſum nec diſtincte, nec caute ſatis de re ſummi pretii maximique ponderis diſſeruiſſe. De Apollinario, Arianae factionis ſtudioſo, GREGORIUS NAZIANZENUS memoriae proditum reliquit (*f*), ὃτι Ἀπολινάριος μὲν τὸ τῆς θεότητος ὄνομα τῷ Ἁγίῳ Πνεύματι δοὺς τὴν δύναμιν τῆς θεότητος οὐκ ἐφύλαξε, *Apollinarium, quamvis divinae naturae nomen Sancto Spiritui impertiverit, vim tamen divinae naturae non cuſtodiviſſe*, id eſt, *id, quod natura Dei infinita involvit, Spiritui Sancto haud impertiiſſe.* Addit rationem, diſſerens ita de Apollinario: *Siquidem ex magno, & majore, & maximo, hoc eſt, ex Spiritu Sancto, & Filio, & Patre, tanquam ex ſplendore, & radio, & ſole, Trinitatem conſtituebat.* Et quid impedit, quo minus hanc erroneam ſententiam ad Donatiſtarum etiam & unum & alterum profluxiſſe credamus? AUGUSTINUS certe, de Donatiſtis diſſerens, haec docuit (*g*) tradiditque inter alia: *Cum Majorino Donatus Epiſcopus alius in eadem diviſione ſucceſſit, qui eloquentia ſua ſic con-*

(*f*) In *Oratione* LI. THEODORETUS, L. IV. *Haeret. fabul.* & L. V. c. 3. *Hiſt. Eccl.* GEBHARDUS THEODORUS MEIER, in *Notis ad Auguſtini librum, de Haereſibus*, ad c. 55. p. 276. edit. Helmſtadi 1673. 4.
(*g*) De *Haereſibus*, c. 69.

Digitized by Google

confirmavit hanc haereſin, ut multi exiſtiment, propter ipſum potius eos vocari Donatiſtas. Exſtant ſcripta ejus, ubi adparet, eum etiam non catholicam de Trinitate habuiſſe ſententiam; ſed quamvis ejuſdem ſubſtantiae, minorem tamen Patre Filium, & minorem Filio putaſſe Spiritum Sanctum. Verum in hunc, quem de Trinitate habuit, errorem Donatiſtarum multitudo intenta non fuit, nec facile in eis quiſquam, qui hoc illum ſenſiſſe noverit, invenitur.

§. IV. Verum ſalva res eſt. Inter hos nullum adhuc Tritheitam, nulla Tritheiſmi veſtigia luculenta, deprehendo. Ei enim, qui, cum Ario, unum Spiritum infinitum, videlicet Deum Patrem, venerantur, Filium vero credunt ante mundi ortum fuiſſe creatum, Spiritum vero Sanctum virtutem eſſe a filio emanantem ac productam, ei, inquam, unum infinitum Deum & infinitam perſonam dari exiſtimant. Nam pro vero & infinito ac aeternum per ſe ſubſiſtente Deo Ariani Filium Dei non habuerunt, tantum abeſt, ut naturam infinitam vel Filio vel Spiritui Sancto tribuerint. Subordinarunt perſonam ſecundam ac tertiam, Filium & Spiritum Sanctum, Patri infinito, ſinguliſque ſingularem eſſentiam ac naturam adtribuerunt. Verum exinde nondum conſequitur, ipſos tres admiſiſſe Deos. Quis enim res creatas & finitas proprie Deos dixerit? Ariani certe & filium & Spiritum Sanctum pro rebus ſubſtantiiſve creatis atque finitis reputabant, ea ratione proviſuri, ne quis tres infinitos dari crederet. Nulla igitur ratione fit veroſimile, Arium & adfectatores ejus ad Tritheiſmum amplexandum inclinaſſe (§. 2.) Arius, tres exſiſtere Deos, docuiſſe quidem dicitur. At, qui ita tradunt ac ſic ſentiunt, per formulas, ab ipſis excogitatas, quibus

bus conſequentias enuntiant, ex ſententia Arii contortas, agunt. Arius certe nunquam luculenter & clare fuit profeſſus, tres exſiſtere Deos. Ipſe, unicum Spiritum infinitum duntaxat dari, ſtatuit, ideoque Filiuu Dei ac Spiritum Sanctum numero rerum creatarum inſeruit. Inter haec non potuit non largiri, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum diverſis naturis ac eſſentiis eſſe praeditos. Catholici quidem ex parte crediderunt, nihil facilius inde conſequi, quam Arium tres admittere Deos. At id nondum inde potuit deduci, ſimulac legitimam debitamque ratiocinationis formam ſequi libuerit. Arius enim vocabulum Θεὸς habuit pro uno e *communibus ad unum*, quae uni excellentiorem in modum adtribuuntur, quam alteri, nec fuit infitiatus, Angelos & Magiſtratus adpellari *Deos*. Quare plures omnino admiſit, qui vocantur Dei, eoſque judicavit differre invicem & ſpecie & numero & virtutibus eſſentialibus. Sed, quoniam unicum duntaxat ſupremum & infinitum Deum exſiſtere credidit, eumque eſſe ſolum Patrem, adjunxit, eodem & proprio ſignificatu, plures dari Deos, nequaquam ut crediderit animum induxit ſuum. Plures Deos admiſit aequivoce, non univoce. Nec nos ab ea haereſi ſumus immunes. Pronuntiamus enim cum Paulo: *Multi ſunt Domini & Dei*. Addimus vero cum eodem: *Nobis tamen unicus tantum eſt & praeſidet Deus Pater, a quo ſunt omnia*. I. Cor. VIII. 5. 6. Id vero pernegamus, Patrem, Filium ac Spiritum Sanctum invicem differre eſſentia, natura, ſpecie, ac virtutibus eis, quae ab eſſentia divelli non poſſunt.

§. V. Oſtendimus itaque, Arium & Arianos a Tritheiſmo longe ſatis abfuiſſe (§. 4.) Ad Marcionem

cionem nunc gradum promovemus. Dionyſio Romano ſi fidem habemus, Marcion unicam Dei eſſentiam, ſeu monarchiam, in tria diſtribuit principia. An Dionyſius ille complexum doctrinae Marcionis ac veterem orientalium Philoſophiam, unde Marcion ac ei, quos ſequebatur ipſe, arva rigaverant, ſatis intellexerit, admodum dubito. IRENAEUS (*b*), qui a Marcionis aetate abfuit propius, duo tantum ejus principia commemoravit. Ex eis, quae Irenaeus edidit, ſatis adparet, Marcioni doctrinam de duobus principiis, quorum alterum eſſet bonum, alterum eſſet malum, adriſiſſe. Veterum Perſarum ac in primis Zoroaſtris ea fuerat opinio. Hi unam ponebant cauſam independentem, cauſam omnis boni, ac ejus, quod revera eſt aliquid. Quum autem multi dentur defectus, naevi, ac multa crimina, quorum origo ad Deum illum boni auctorem referri non poteſt; rationem ſufficientem originis mali ac limitationum in principio oppoſito ſitam ſuſpicabantur, ſiquidem eorum, quae oppoſita ſunt, oppoſitae ſolent eſſe rationes. Quo minus vero credam, ipſos principium mali per cauſam efficientem expoſuiſſe, adducor comparationibus eorum, ſiquidem principium mali per *tenebras* & *noctem* illuſtrarunt. Videntur vero principium metaphyſicum ſucceſſu temporis confudiſſe cum principio phyſico, efficiente & poſitivo, praecipue ei, qui magis ad ſtilum ſymbolicum, quam ad rem, ſymbolis denotatam, animum adpellebant. Finitudo certe ſubſtantiarum, unde mala proveniunt & exoriuntur, dependet a limitatione eſſentiarum originaria & ſempiterna. Quae aeterna ſunt, videntur a nulla re am-

(*b*) L. I. c. 27.

amplius dependere. Et cur, quaeſo, id, quod deficit, quod non exſtat, quod deeſt, quod nihil eſt, cauſam ad efficientem referremus? Finitudo, qua talis, in eis, quae non exſiſtunt, ac in non-exſiſtentia virium conſiſtit, eſſentiiſque finitis aeternum adhaeſit. At haec aeterna eſſentiis finitis adhaerens limitatio non eſt ejusmodi aliquid, quod exſiſtat, quod ſit perfectionibus imbutum, quod inſtar ſubſtantiae agentis poſſit conſiderari. Deus eſt ſubſtantia agens & infinita. Sed principium hoc metaphyſices dogmaticum, ex quo origo mali ac defectuum deformitas exponitur, eſt nec ſubſtantia, nec agens aliquid, nec aliquid infiniti. Qui tertium addiderunt principium, docere voluerunt, rebus finitis ineſſe & aliquid & defectum: poſitiva & negativa: vires nonnullas, ac virium aliquot defectum. Symboli loco adhibuerunt lunam, in qua quippe & lux & caligo exſiſtunt. Quae quum ita ſint, facile intelligitur, principium ſecundum & tertium a Dei eſſentia abeſſe ſatis longe. Quare is, qui tria illa principia ad philoſophandum adhibuit, Tritheiſmi reus peragi non poteſt. Illud haud equidem dixerim, an omnes mentem Philoſophorum orientalium recte comprehenderint. Id mihi tamen videtur probabile, Doctores aliquot Chriſtianos pudendo conatu principia illa tria Philoſophica pro totidem habuiſſe cauſis ac mentibus ejuſmodi, quibus inſit excellens quaedam potentia. Id ex Irenaeo, quem laudavimus, colligere licet, Marcionem in eo fuiſſe, ut ceteris quoque perſuaderet, alium eſſe Deum, qui a Lege & Prophetis adnuntiatus ſit, malorum auctorem, bellorum cupidum, ſibi adverſum, nec ſibi conſtantem: alium eſſe Patrem, qui ſit ſuper mundi fabricatorem Deum: ab

hoc

hoc Patre veniſſe Jeſum corpore indutum, e coelis ſecum adlato. Si Irenaeus ea, quae Marcion docuit, recte percepit animo litterisque conſignavit, tum intellectu facile & pronum eſt, tres ipſum conſtituiſſe Deos, unum iracundum & ferocem, alterum mundi fabricatorem, ac tandem alium, qui Pater Chriſti fuerit. Dum vero addidit, Patrem Chriſti eſſe ſuper illum mundi fabricatorem, inaequales admiſit conſtituitque Deos, ac, ſi accurate loqui placuerit, Tritheiſmi labem non contraxit. Auguſtinus de Marcione breviſſime haec tradidit (*i*): *Marcion quoque, a quo Marcionitae ſunt, qui Cerdonis ſecutus eſt dogmata de duobus principiis: quamvis Epiphanius eum tria dicat aſſeruiſſe principia, bonum, juſtum, pravum. Sed Euſebius Synerum quendam, non Marcionem, trium principiorum atque naturarum ſcribit auctorem.* Ac ſi alia Irenaei loca (*k*) conſulimus: ſi Tertulliano (*l*) fidem habemus: ſi Juſtinum Martyrem (*m*), Rhodonem apud Euſebium (*n*), Athanaſium (*o*) & ex recentioribus Theologis Gebhardum Theodorum Meiers (*p*) atque Joannem Clericum (*q*) in ſubſidium ac teſtimonia adſciſcimus; Marcion non tria, ſed duo duntaxat omnium rerum ſtatuit exſiſtere principia. Unum enim Deum putavit eſſe creatorem hujus mundi, quem non tantum, uti Cerdon fecerat, vocavit juſtum, ſed

(*i*) Cap. 22. de *Haeref.*
(*k*) L. II. c. 1. L. IV. c. 57.
(*l*) *Contra Marcionem*, L. I. c. 2.
(*m*) *Apol.* I. c. 35. 75.
(*n*) *Hiſt. Eccl.* V. 13.
(*o*) *Contra Sabellianos*, num. 6.
(*p*) In *Notis*, *ad Auguſtini librum de Haereſibus*, p. 131.
(*q*) *Hiſt. Eccl. Saec.* II. ad Annum CXLI. §. 5. p. 647.

quem etiam ſaevum, crudelem, & truculentum adpellavit. Alterum vero Deum fingebat eſſe Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui ſit clemens, bonus, & miſericors. Rhodon apud Euſebium non diſſimulat, e diſcipulis Marcionis quoſdam prodiiſſe, qui non duas, ſed tres exſiſtere, naturas adfirmaverint. Quae ratio ita eſt comparata, ut Dionyſium Romanum facile potuerit ad id Marcioni tribuendum, quod delirabant diſcipuli, commovere. In praeſens id obtinuimus, quod Marcion non tria, ſed duo, omnium rerum principia conſtituerit. Quo ipſo corruit illa Tritheiſmi lues, quam nonnulli in eo videre ſibi videbantur. Quid autem diſcipuli ipſius crediderint, qua ratione principia illa collocaverint, ac num ea pro creatoribus ac conſervatoribus omnium rerum habuerint, obſcurum nobis eſt & incompertum. Marcion certe Patrem Jeſu exiſtimavit ſuperiorem & potentiorem illo Deo, quem mundo creatorem obtigiſſe ſomniabat. Diſcipulos ejus hanc ſententiam & retinuiſſe & exornaviſſe, admodum eſt probabile. Id ſi fecerunt, unum verum & ſupremum Deum eſſe crediderunt; reliquos vero duos & viribus & potentia inferiores eſſe, rati, a Tritheiſmi proprie dicti labe fuerunt liberi & immunes. Is enim demum eſt *Tritheita*, qui tres Deos, & ſupremos & aeque infinitos, prorſus inter ſeſe diverſos, exſiſtere credit.

§. VI. Dionyſius Romanus, ut ſupra commemoravi (§. 3.), commemorat, docuiſſe ſua aetate nonnullos, ac Sabellium refelliſſe ita, ut unam Dei eſſentiam in tres quaſdam *virtutes* ac *ſeparatas hypoſtaſes treſque divinitates* diviſerint ac diſtrinxerint. Requirimus plura momenta ad crimen haereſeos, dummodo ea ſit crimen, alicui inurendum. Dionyſius verba

verba doctorum haud protulit. Omiſit ipſe indicare, utrum ſententiam eorum genuinam & diſtincte enuntiatam, an vero id, quod ſibi ex nonnullis eorum dogmatibus conſequi ac profluere videbatur, protulerit. Uſus loquendi tum erat vagus, fluxus, & in re perdifficili ac obſcura admodum lubricus. Ex mentione trium hypoſtaſium accuſationem credo fuiſſe enatam. Alii enim, qui initio erant pauciores, docebant, tres dari in divina eſſentia hypoſtaſes; alii contra hypoſtaſin & eſſentiam pro ejuſdem ſignificatus vocabulis habebant. Ex hac inconſtantia loquendi multae de vocibus concertationes & frivolae ſuſpiciones ſunt exortae, quas demum ſaeculo quarto novimus eſſe pacatas. Veteres defectu vocabulorum laborabant ad deſignandum illud *Unum* & *Tres* illos. Ipſi nunc unam Deo οὐσίαν *eſſentiam* adtribuebant, nunc tres laudabant (r) οὐσίας, id eſt, perſonas ſubſiſtentes, ac re ipſa diſtinctas, non fictione vel cogitatione duntaxat diverſas. Ignatius Martyr, in epiſtola ad Magneſianos, Filium Dei vocavit ἐνεργείας θεϊκῆς οὐσίαν γεννητὴν, *virtutis efficacis divinae eſſentiam generatam.* Quis, indicari perſonam, negaverit, per vocem οὐσίαν? Eadem ratione Pierius, apud Photium (s), patrem & Filium vocavit οὐσίας δύο καὶ φύσεις δύο, *eſſentias duas ac duas naturas*, ſumſitque, Photio judice, vocem utramque pro hypoſtaſi, ſeu perſona.

§. VII. Donatus junior, ſi Auguſtino eſt fides, Arianis, quantum ad dogma de trinitate adtinet, acceſſit. Sed id mihi non ſatis fit veriſimile, quod Donatus claris & perſpicuis verbis cum Arianis ſen-

(r) LAMIUS, in Diſſ. de *Recta Patrum Nicaenorum fide*, c. 32. §. 2. 3. 4. p. 104. ſq.
(s) *Codice* CXIX.

ſerit. Auguſtinus ad ſcripta ejus provocat, ac, in eis id fuiſſe traditum, credit, tam obſcure quidem, ut Donatiſtarum ne unus hoc quidem perſenſerit. Donatus eloquentia ſua hoſce, qui a coetibus conſpicuis eiſque numeroſioribus Chriſtianis ſeceſſerant, ita reddiderat ſibi devinctos, ut flectere eos poſſet pro arbitratu. Cur itaque nemo ipſorum ad novam, & Donatiſtis nondum probatam, doctrinam ab eo non fuit perductus, ſi eam claris & pellucidis verbis ſuam praedicavit? Quomodo haec ſibi invicem congruant, nondum diſpicere valeo. Suſpicio itaque me inceſſit, vel Donatum incaute alicubi locutum eſſe, vel Auguſtinum id, quod ſibi per corollarium, vel conſectarii formulas, videbatur conſequi, Donato, veluti dogma adprobatum, tribuiſſe. Pone tamen, rem ſic ſeſe habere, quemadmodum Auguſtinus memoriae prodidit. Inde tamen nondum Tritheiſmus Donato impingi imputarique poterit, ſiquidem ea ratione unicum Deum, & duas ſubſtantias creatas, admodum excellentes, admiſit. (§. 4.)

§. VIII. Nemo facile Doctorum ſeſe offert, cui macula Tritheiſmi crebrius inuratur & cujus famae accuſatio illa altius inſederit defixa, quam Joannes Grammaticus, cui ab adſiduitate & laboris litterarii ſtudio cognomentum *Philoponi* adhaeſit. Hic, genere Alexandrinus, arte Grammaticus, in Platonis pariter ac Ariſtotelis Philoſophia verſatiſſimus, medio ſaeculo ſexto floruit, aetatemque ad initia ſaeculi ſuccedentis protraxit, ſiquidem Sergio, Patriarchae Conſtantinopolitano, nonnullos librorum ſuorum dedicavit. Ipſe ingenio ſuo ſolebat nimium confidere, ac in libris legendis erat helluo, in ſcribendis autem indefeſſus. Stilum adhibebat purum & perſpicuum, minus

minus tamen venuſtum. Ipſe ſuſtinuit publice Neſtorium defendere, eoque nomine ſcripſit adverſus Synodum Oecumenicam quartam. Photius (*t*) hunc ejus conatum carbone atro notavit, qui noſtra aetate paſſim adprobatores conſecutus eſt. Scripſit liberius Joannes, quam ei, qui Eccleſiis praefidebant, ferre poterant. Libros & opera ejus recenſuit CASIMIRUS OUDINUS (*u*). Plura Philoponus compoſuit, opinor, quam huc uſque in notitiam publicam pervenerunt. Non digrediar ad ſingula diluenda, quae ei & Photius & alii objecerunt. Nec adprobo inconcinnas ejus loquendi formulas. Id tantum contendo, ipſum non plures Deos ſtatuiſſe, adeoque injuſte Tritheiſmi fieri reum. Teſtor eumdem Photium, qui haec habet (*x*): " *Lectus eſt* „ *liber, continens Acta Diſputationis, initae coram* „ *Joanne, Regiae urbis Epiſcopo, Juſtino Imperante,* „ *inter Cononem & Eugenium, Tritheitas, & Paulum & Stephanum, qui & ipſi haeſitantium de numero erant. Hic viſuntur Conon & Eugenius Philopono patrocinari: quum enim Paulus & Stephanus* „ *ab ipſis poſtularent, ut Philopono anathema dicerent,* „ *recuſarunt. Quin & proferunt teſtimonia, quod* „ *cum Severo atque Theodoſio, ipſorum praeceptoribus,* „ *eadem ſentiret. Hi quidem multas in Theologicis* „ *pias voces adhibent, ut Trinitatem conſubſtantialem* „ *eſſe ejuſdemque naturae, & UNUM DEUM* „ *unamque divinitatem; blaſphemant vero, dum ajunt,* „ *Patrem & Filium & Spiritum Sanctum partiales eſſe*

 „ *ſub-*

(*t*) In *Bibliotheca*, *Cod.* 55.

(*u*) In *Commentariis, de Scriptoribus & Scriptis Eccleſiaſticis*, *Saec.* VI. p. 1467. ſqq.

(*x*) *Cod.* 24.

„ *ſubſtantias, propriaſque divinitates, & proprias na-*
„ *turas. Ita ſecum ipſi & cum veritate pugnantes,*
„ *alia plura id genus deliramenta proferunt.* „ Unde pateſcit, Philoponum ejusque adſectatores unum Deum ſtatuiſſe ac veneratos eſſe. Reliqua pertinent ad incommodas loquendi formulas, per quas ipſi vocem φύσις & οὐσία praeter conſuetudinem, nec tamen ſine exemplis, ad denotandas perſonas earumque virtutes divinas adhibuerunt. Perſonas enim divinas dixerunt tres naturas, ſeu ſubſtantias, φύσεις, οὐσίας. Jam antea monui, magnos Eccleſiae Doctores citra haereſin ita fuiſſe locutos (§. 6.). Cur itaque id uni Philopono male cederet ac excuſatione indignum eſſet, quod ipſe JOANNES LAMIUS (y) in Conſtantino Magno aliiſque orthodoxis, & ipſe Photius in Pierio excuſando noluerunt importune moroſeque notare.

§. IX. Saeculo nono Gotheſchalcus, coenobii Orbacenſis Monachus, ab Hincmaro, Archiepiſcopo Remenſi, reus Tritheiſmi poſtulatus fuit, eo quod ipſi reclamaret, contendenti, verba illa, *Te trina Deitas*, ex hymno Martyrum delenda eſſe, quaſi per hanc loquendi formulam *tres Dei* viderentur induci. Moleſtias, quas ideo ab Hincmaro, turbulenti ingenii & implacabilis animi viro, ſuſtinuit Gotheſchalcus ad mortem uſque, egregie percenſuit CASIMIRUS OUDINUS (z). Immerito Gotheſchalcum ei accuſationi fuiſſe expoſitum, Petrus Conſtantius, Monachus Benedictinus, in

(y) Qui hoc oblitus fuit in reprehendendo Philopono, l. c. p. 116. ſqq.

(z) In *Commentariis, de Scriptoribus & Scriptis Eccleſiaſticis*, Saec. IX. p. 198. ſqq.

in *Vindiciis veterum Codicum confirmatis*, luculenter oſtendit, idque, judice JOANNE LAMIO (*a*), patere ſtatim poteſt, ſi quis in Eccleſiaſticis ſtudiis non omnino ſit hoſpes & peregrinus. De controverſia illa, quae, ex hymno illo Martyrum exorta, diſtinuit Gotheſchalcum & Hincmarum, nec GUILIELMUS CAVE, nec CASIMIRUS OUDINUS quicquam litteris conſignatum reliquerunt. DOMINICUS BERNINIUS (*b*) habet nonnulla, ac inter ea hoc etiam memoriae prodidit, Hincmarum, ut cauſam labantem ſuam fulciret ac calumniae ſuae, in Gotheſchalcum effuſae, colorem quaereret aliquem, in *Epiſtola ad Nicolaum Papam* adfirmaſſe, Gotheſchalcum *triplicem divinitatem* docere fuiſſe auſum. Addemus proinde ea, quae Ven. JOANNES LAMIUS huic commemorationi, loco dijudicationis, ſubjunxit, ita differens: „ *At nunquam, Triplicem eſſe Divinitatem, Gothe-*
„ *ſchalcus adſeruit; Trinam vero tantum edixit, ut*
„ *optimo jure in ejus etiam ſententiam pedibus iret Mo-*
„ *nachus Corbejenſis haud quaquam indoctus Batranius,*
„ (quem alii Bertramum, Ratramnum, Bartramnum vocant) *qui eam pariter ſumto ſtilo libriſque*
„ *exaratis defendit: fruſtraque omnino Hincmarus, hoc-*
„ *ce par deturbaturus, librum de NON TRINA DEI-*
„ *TATE conſcripſerit. Ex hoc tamen titulo occaſio-*
„ *nem libenter adripio, famae & exiſtimationi Hinc-*
„ *mari conſultum eundi, adſeverandique, non ea ca-*
„ *lumnia ab illo Gotteſchalcum preſſum, quaſi, tripli-*
„ *cem eſſe Divinitatem, enuntiaret; ſed tantummodo*

„ *Tri-*

(*a*) Loco laudato, p. 113. de *Recta Patrum Nicaenorum fide.*
(*b*) In *Hiſtor. Haereſ. Saeculi* IX. c. 7.

„ *Trinam dici posse, nimis audenter impugnasse. Editio*
„ *enim Parisiensis operum Hincmari Anni* MDCXLV.
„ *in epistola ad Nicolaum Papam non habet Triplex,*
„ *sed Trina, & hoc postremum modo ibidem crimini*
„ *vertitur Gotteschalco; quod non alis re animadver-*
„ *sum fuerit, & ex quo certe castigandus Berninius, &*
„ *si quis alius est, qui TRIPLEX legat: calumniato-*
„ *ris enim infamiam subire non meretur Hincmarus,*
„ *quamquam fato exituque infelici manum cum Mo-*
„ *nacho Corbejensi conseruerit. Heic obiter tantum,*
„ *πολυμαθίας ἕνεκα, adnotaverim, in vetustissimo*
„ *Missali Gallicano, quod religiosus vir, JOSEPHUS*
„ *THOMASIUS, edidit, haberi: CREDIS PA-*
„ *TREM ET FILIUM ET SPIRITUM SAN-*
„ *CTUM TRINAE VERITATIS, MANEN-*
„ *TE SUBSTANTIA, DEUM ESSE PER-*
„ *FECTUM* (c)? Haec vir ille, toties laudatus. Ex quibus satis superque dilucet, Gotheschalcum a Tritheismo fuisse liberum prorsus & immunem. *Got-schalc* teutonicum est nomen, ac *Dei servum* denotat. Gotheschalcum proinde ortu fuisse Germanum, facillime innotescit ex nomine, quo fuit insignitus. Germani vero *trinitatem* vocant *triplicitatem*, **dreifaltigkeit**, Deique essentiam, seu Divinitatem, vocant triplicem, **dreifaltig**. At nemo eam ob caussam, Germanos esse Tritheitas, ullam conjecturam ducet probabilem. Ex eadem loquendi formula, Germanis ex aevo antiquissimo satis superque trita, credo Gotheschalcum, ad Hincmari, novis vocabulis inhiaturi, ausus retundendos, fuisse invitatum.

§. X. Petro Abaelardo crimen Tritheismi saepius esse

(c) Apud EDMUNDUM MARTENE, *de Antiquis Ecclesiae ritibus*, L. I. C. 1. art. 13. num. 14.

Digitized by Google

esse objectum, legimus. Simulatque vero in arcem causae ejusque investigationem ingressi fuerimus, invidiam & aemulationem luci Abaelardianae eruditionis offeciisse, ac omnia in suspiciones atque obtrectationes resolutum iri, videbimus. Adhibuit voces, Aristoteli probatas, in exponendis fidei dogmatibus, atque Scholasticis viam praeivit, in qua ad inficiendam & depravandam Theologiam omnem longe lateque grassari possent. Joannes Trithemius, Abbas Spanheimensis (*d*), eum adpellat, *virum, in Saeculari Philosophia eruditissimum & in Divinis Scripturis nobiliter doctum, gaudentem novitate terminorum & altiora se scrutari temantem, oppressum a gloria*, qui in *plures inciderit errores &, agente Sancto Bernardo, in Senonensi Concilio cum pravis suis doctrinis fuerit condemnatus.* De vita & scriptis ejus, praeter Natalem Alexandrum, & Guilielmum Cave, ex professo egit CASIMIRUS OUDINUS (*e*). Scripserat Abaelardus circa annum MCXIX. librum *de Theologia*, unde aemuli ipsius, Albericus ac Lothulfus, adripuerunt occasionem, exprobrandi ipsi Tritheismum. Scripsit ipse, stilo lugubri ac querelis pleno, *Historiam calamitatum suarum*, ex qua hanc sibi objectionem saepius inustam, nunquam solide evictam, perhibet. Nec ipse *tres Deos infinitos* docuit unquam, sed, eos a sese adoptari & adsensu comprobari, negavit ac perpetuo pernegavit. Quantas tragoedias & turbas ille Abaelardi, de Theologia seu Trinitate, liber excitaverit, quum alias incompertum

(*d*) De *Scriptoribus Eccles.* p. 161. edit. Coloniae 1546. 4.

(*e*) In *Commentariis, de Scriptoribus & Scriptis Ecclesiasticis Saec.* XII. ad annum MCXXX. p. 1161. sqq.

Digitized by Google

non ſit, in praeſens ut enarrem, nulla ſingulari adductum me ſentio ratione. BERNHARDUS, Abbas Claraevallenſis, refert (*f*), poſuiſſe *Abaelardum in Trinitate gradus, in majeſtate modos, numeros in aeternitate. Denique*, addit idem, *conſtituit Deum Patrem plenam eſſe potentiam, Filium quamdam potentiam, Spiritum S. nullam potentiam: atque hoc eſſe Filium ad Patrem, quod quamdam potentiam ad potentiam, quod ſpeciem ad genus, quod materiatum ad materiam, quod hominem ad animal, quod aereum ſigillum ad aes.* Subdit Bernhardus, *conſubſtantiales divinas perſonas* a Petro praedicatas eſſe. Obverſatur autem de Bernhardo Abbate mihi judicium Ottonis Friſingenſis, qui de eo ſic (*g*) ſentit: *Erat praedictus Abbas, tam ex Chriſtianae religionis fervore, Zelotypus, quam ex habitudinali manſuetudine quodammodo credulus, ut & magiſtros, qui humanis rationibus ſaeculari ſapientia conſiſi nimium inhaerebant, abhorreret: & ſi quicquam ei Chriſtianae fidei abſonum de talibus diceretur, facile aurem praeberet.* Abaelardus iterum Anno MCXL. in Concilio Senonenſi variarum haereſium accuſatus fuit. At ipſe, cauſae ſuae patum diffiſus, appellatione ad ſedem Apoſtolicam interpoſita, Romam profecturus, Cluniacum transiit, quo forte Bernhardus & Petrus Venerabilis convenerant. Poſterior horum de concordia, Bernhardum inter & Abaelardum reſarcienda, egit, noluitque auctoritatem Bernhardi Romae periclitari. Coiit gratia renovata inter utrumque feliciter, ac omnis illa de haereſi impingenda ac de Tritheiſmi macula conticuit accuſatio, ſiquidem Bernhardus, coram

(*f*) in Ep. 190. c. 1.
(*g*) L. 1. *de Rebus Geſtis Friderici* I. c. 47.

Digitized by Google

coram ea audiens, quibus Abaelardus cauſſam ſuam texerat vel diluerat, ab omni haereſeos Abaelardianae crimine mentem memoriamque ſuam ſejunxit. Petrus Venerabilis, qui haec in epiſtola ad Innocentium II. Papam retulit, non omiſiſſet id ſcribere, ſi Abaelardus tunc haereſin ſuam agnoviſſet eique renuntiaſſet. Verum ipſe nec eam ipſi impingit Abaelardo, nec Abaelardum a Bernhardo ejus criminis convictum tradit. Idem Petrus Venerabilis Abaelardum in coenobio Cluniacenſi ſecum retinuit, ut ſcientia ipſius magnae fratrum multitudini proficeret. Quis tam amens eſt, ut credat, Abbatem Cluniacenſem homini haeretico hoſpitium conſtans in coenobio ſuo fuiſſe conceſſurum: ut ſibi perſuadeat, Abbatem Monachos diſciplinae & colloquiis ejus fuiſſe traditurum, qui in capitali de eſſentia divina verſabatur errore. Pomum illud Eridos, *Introductionis ad Theologiam libros* III, ſeu, ut ipſe vocat, *Opuſculum de Fide Sanctae Trinitatis*, Abaelardi fetum, ſemper ob oculos habuit Petrus Lombardus, quum *Sententiarum libros* ſcriberet, fatente Joanne Cornubienſi, ipſius Lombardi diſcipulo (*h*). Quis Lombardum vocaverit haereticum? Quis ab eo libros haereticos in auxilium adſcitos dixerit? Novi equidem, Lombardo uſque ad Innocentii III. decretum varios quoque naevos (*i*) fuiſſe exprobratos. Ipſe tamen ab Eccleſia Romana in album haereticorum fuit nunquam adſcriptus. CASIMIRUS OUDINUS de palinodia Abaelardi prorſus ſiluit, haec

(*h*) Apud ANDREAM *Du* CHESNIUM, in *Notis ad Abaelardum*, p. 1159.

(*i*) JOANNES LAUNOIUS, de *Varia Ariſtotelis fortuna in Academia Pariſienſi*, c. 3. p. 189. —— 192. ed. Vitemberg. 1720. 8.

haec potius ſubjungens: *Accuſatus a Sancto Bernardo errorum multorum, quos nunquam ab ipſo probatos fuiſſe hodie multi temporum noſtrorum, rationibus hinc atque inde penſatis, cenſent & affirmant.* Joanni Andreae Schmidio, praeceptori quondam meo Venerabili, qui hiſtoriam Abaelardi diu animo expenderat, ac ex profeſſo, ut eam in lucem ederet, ſcripto conſignaverat, de ea, quam Abaelardo nonnulli tribuunt, palinodia, tanquam de fictione diſſerere ſolebat. Ipſi enim (*k*) *viſa eſt palinodia, aeque ac haereſis, a malevolis Abaelardo imputata.* Idem ſenſit vir variae famae, GOTHOFREDUS ARNOLDUS (*l*). Thomas Campanella, Abaelardum injuria dici haereſiarcham, monet, quippe qui Synodis Eccleſiae adquieverit & apud Cluniacenſes Monachos in pace & vitae ſanctimonia e vita migraverit. De retractatione errorum, quam Abaelardus inſtituerit, ex epiſtola Petri Cluniacenſis nihil admodum ſuccurrit. Perpende, quaeſo, lector ipſa verba, ut ipſe judicium ferre valeas. Petrus ſic ad Innocentium II. ſcripſit inter alia: *Venit interim Dominus Ciſtercienſis Abbas & de pace ipſius & Domini Claraevallenſis, cujus cauſa* (Abaelardus Romam) *adpellaverat, nobiſcum & cum ipſo pariter egit. Dedimus & nos operam paci ejus, &, ut ad illum cum ipſo iret, hortati ſumus. Addidimus hoc monitis noſtris, ut, ſi qua catholicas aures offendentia aut ſcripſiſſet aut dixiſſet, hortatu ejus & aliorum bonorum & ſapientum & a verbis ſuis amoveret & a libris abraderet. ET FACTUM EST ITA. Ivit, rediit, cum Domino*

(*k*) In *Compend. Hiſt. Eccl. N. T.* p. 320.
(*l*) In der *Kirchen und Ketzer-Hiſtorie*, P. I. L. XII. c. V. §. 7.

nio Claraevallenſi, mediante Ciſtercienſi, ſopitis prioribus querelis, ſe pacifice convenisſe, reverſus retulit. Non tradit Petrus, ipſum errores retractaſſe, ac ita in concordiam fuiſſe receptum. Nihilominus JOANNES HERMANNUS *ab* ELSWICH, Ephorus olim Stadenſis, retractationem (*) illam rebus vere geſtis olim (*m*) adnumeravit, ſuum lectorem ablegans ad B. THOMAE ITTIGII librum, de *Bibliothecis & Catenis Patrum*, p. 678. 369. Ponamus itaque, ſeu fingamus, Abaelardum errori ſuo recantando tandem adpuliſſe animum; tum nova exoritur quaeſtio, an error ipſius ſpiraverit Tritheismum. Ex Bernhardi accuſatione liquet, Abaelardum perſonas divinae eſſentiae ita diſtinxiſſe, ut ſolum Patrem crediderit infinitum, ac de reliquo cum Arianis ſenſerit. OTTO *Friſingenſis* memoriae (*n*) prodidit, ipſum diſtinctionem Perſonarum in Sancta Trinitate nimis adtenuaſſe. Num hoc eſt Tritheitarum proprium? Tritheitae perſonas plane diſtinguunt, ac ita ſeparandas exiſtimant, ut tres numerentur eſſentiae, naturae, ſubſtantiae, tria ſuprema Numina invicem diverſiſſima. Alia rurſus GAUFRIDUS Antiſſiodorenſis, per annos trede-

cim

(*) Reſcriptum Domini Innocentii Papae contra haereſes Petri Abailardi eſt epiſtola 194. inter Bernhardinas, fol. 230. D. E. F. edit. Pariſ. 1566. fol. Ex eo haec excerpimus Papae verba: *Nos - - communicato fratrum noſtrorum, Epiſcoporum & Cardinalium, conſilio deſtinata nobis a veſtra diſcretione capitula & univerſa ipſius perverſa dogmata ſanctorum canonum auctoritate cum ſuo auctore damnavimus, eique tanquam haeretico perpetuum ſilentium impoſuimus.* At nil heic refertur de retractatione.

(*m*) In *Notis*, ad JOAN. LAUNOJI *librum*, *de Varia Ariſtotelis in Academia Pariſienſi fortuna*, c. III. p. 191.

(*n*) De *Rebus geſtis Friderici* I. L. I. c. 47.

cim B. Bernhardi Monachus, qui exſtiterat Abaelardi diſcipulus, exprobravit praeceptori ſuo. Ipſe enim ita commemorat (o): *Ego mihi Magiſtrum aliquando fuiſſe recordor, qui, pretium noſtrae redemptionis evacuans, nihil aliud nobis in ſacrificio paſſionis commendabat, niſi virtutis exemplum & amoris incrementum. Et quod Scripturae perhibent, humanum genus pretioſo illo ſanguine de poteſtate diaboli eſſe redemptum, in eo ſolo conſtare dicebat, quod exemplum nobis exhibitum eſt uſque ad mortem pro veritate & juſtitia certandi.* Negavit itaque, judice Gaufrido, Abaelardus ſatisfactionem vicariam, a Chriſto pro nobis praeſtitam, ac eam opinionem tenuit animo infixam, quam Conradus Dippel & Chriſtophorus Victor Tuchtfeldius nuper, ſed fruſtra, revocare voluerunt. Verum haec opinio facilius cum Socinianiſmo & Arianiſmo, quam cum Tritheiſmo, poterit conciliari. Teſtor denique ipſos Abaelardi *tres Introductionis ad Theologiam libros*, quorum tertius in editis eſt imperfectus. Si voculas Ariſtotelicas rebus ipſis demeris ac diſtinctiones ſubtiles ad ſcopum ſcriptoris interpretaberis, multa ſane contendes obſcure ſubtiliterque eſſe diſputata; nihil vero judicabis ineſſe eis, quod redoleat Tritheiſmum. Quantum vero ad illum Gaufridum, ſeu Gothofredum, adtinet, ejus fides, ſimulac de adverſariis Bernhardi ipſi eſt ſermo, admodum eſt ſuſpecta ac nullius pretii. Ipſe enim Bernhardi fuit a ſecretis, ſeu ſcriba Bernhardi fuit conductitius, Bernhardi fuit ſtipator & ſucceſſor, ejuſque in gratiam mendacia (p) paſſim ſpargere non dubitavit.

§. XI.

(o) Apud ALBERICUM *Monachum*, ad annum MCXL. in *Chronico*, p. 286 ſq. ed. Leibn. 1699. 4.

(p) CASIMIRUS OUDINUS, l. c. p. 1285.

Digitized by

§. XI. Exſtiterunt quondam de grege S. Bernhardi quidam Doctores, qui Gilbertum Porretanum, Pictavienſem ortu, & Epiſcopum, Tritheiſmi nomine ſuſpectare voluerunt. Ipſe enim tres divinitatis perſonas vocaverat *tria ſingularia* (*q*), ſubtiliſſimus quippe Philoſophus ac ſacrarum litterarum peritiſſimus. Exſtitit is primum Eccleſiae Carnotenſis Canonicus, deinde S. Hilarii Majoris Pictavienſis, qui, quum A. MCXLI. Pictavii Theologiam profiteretur ac doceret, ad faſtigium Epiſcopatus, ob inſignis doctrinae gloriam, ibidem fuit per electionem evectus. Vocatur nunc *Giſelbertus*, nunc *Gislebertus*, nunc *Gillebertus*, nunc *Gilbertus*. Vitam, mores & fata ejus ſincere expoſuit OTTO, FRISINGENSIS (*r*) Epiſcopus, atque ad ductum ejus laborioſiſſime Celeberr. CASIMIRUS OUDINUS (*s*). Archidiaconi ipſius, Arnaldus & Calo, rati, ſeſe in conventu Clericorum, quem Gilbertus in Dioeceſi ſua celebraverat, audiviſſe nonnulla ex Gilberto, ſalubribus de S. Trinitate doctrinis adverſa, Romam accuſationes ſuas eo nomine delaturi, Senis, civitate Thuſciae, Eugenium Romanum Pontificem, in Gallias tendentem, inveniunt. Quum Archidiaconi ex Eugenio, rem in Galliis diſceptatum iri, intellexiſſent, timentes, ne auctoritate & doctrina Gilberti ſuperarentur, ad S. Bernhardum divertunt, cujus aures ſuſurronibus patebant. Bernhardus ignorabat accuratiorem Philoſophiae notitiam, nec vocibus Ariſtotelicis fuerat ad-

(*q*) In *Commentario*, quem *in Severini Boëtii librum de Trinitate* conſcripſerat.

(*r*) De *Geſtis Friderici* I. c. 46. 50. ſqq.

(*s*) In *Commentariis de Scriptoribus & Scriptis Eccleſiaſticis Saec.* XI. Tom. II. p. 1276. ſqq.

adſuefactus. Quare facile in ſuſpicionem adducebantur penes eum innocentiſſimi, qui a ſolita loquendi ſimplicitate in diſciplinis Theologicis defle-ctebant. Eugenio in Gallias delato, Gilbertus primo Antiſſiodorum, poſt Pariſios, fuit arceſſitus. Objiciebantur ei potiſſimum haec tria erroris capita, quae docuerit, veluti vera:

I. *Divinam eſſentiam non eſſe Deum*,
II. *Proprietates perſonarum non eſſe ipſas perſonas*,
III. *Theologicas perſonas in nulla praedicari propoſitione*,
IV. *Divinam naturam non eſſe incarnatam.*

Addebant quoque haec:

V. *Neminem pro nobis gratiam Dei mereri, praeter Chriſtum*
VI. *Nullum baptizari, niſi ſalvandum* &c.

Gilbertus variis rationibus ſeſe defendit Pariſiis, in primis teſtatus, ſeſe *tres perſonas* dixiſſe *tria ſingularia*, id eſt, excellentia & prae ceteris rebus eximia. Reſumta fuit deinde haec diſquiſitio, Anno MCXLVIII. in Concilio Remenſi, ad medium quadrageſimale tempus. De primo tantum capite Romanus Pontifex definivit, *ne qua ratio in Theologia inter naturam & perſonam divideret, neve Deus divina eſſentia diceretur ex ſenſu ablativi tantum, ſed etiam nominativi.* De Tritheiſmi macula ne verbulum quidem Gilberto fuit objectum, qui, deciſionem Pontificis Romani reverenter (*) amplexus, Ar-

(*) Damnatus non fuit ibi, licet ita ſibi perſuaſiſſet JOANNES ANDREAS SCHMIDIUS, in *Compendio Hiſt. Eccl.*

Archidiaconis ſuis in gratiam receptis, cum retenta ordinis ſui dignitate ad proſequendum Epiſcopatus ſui munus Pictavium ſeſe retulit. Definitio equidem cauſae non condemnavit Gilbertum, ſed Concilii ignorantiam arguit; Quis enim docebit, naturam inter & perſonam non eſſe dividendum, quantum ad trinum Deum adtinet? Una certe Dei eſt natura, ſed tres ſunt perſonae. Niſi dividere naturam inter & perſonam liceat, tot erunt in Trinitate perſonae, quot ſunt naturae, quod eſt omnino falſum. Gothofredus, ſeu GAUFREDUS, in *Vita* S. *Bernhardi*, ac ex eo BARONIUS (*t*) rem ac deciſionem, in Concilio univerſali pronuntiatam, aliter referunt, nimium ſcilicet tribuentes famae laudibusque Bernhardi, quaſi is non fuerit homo. ALBERICUS, trium fontium Monachus, (*u*) de Concilio Rhemenſi nonnulla habet, quae operae pretium fuerit transſcribere, ut exinde, Gilberto de Tritheiſmi labe nullam litem fuiſſe intentatam, cognoſcat lector. Ipſe ſic diſſerit: *In hac Synodo Remenſi Archiepiſcopi, Epiſcopi & Abbates, uſque ad mille centum reſedisſe dicuntur. Epiſcopus Aurelianenſis ibi depoſitus eſt & Hatto Trecenſis. In eodem Concilio B. Bernardus contra Pictavienſem Epiſcopum, Magiſtrum Gislebertum, de fide ſanctae Trinitatis duobus diebus diſputavit. Meminit ipſe hujus loci, ſermone ſuper*

T Can-

Eccl. N. T. p. 321. BERNHARDUS ipſe nequidem ſcripſit, Gilbertum fuiſſe damnatum, docens potius, *Sermone* 80. *in Cantica*, ipſum ea, quae reprehenſione digna in conventu inventa fuerint, ore proprio damnaſſe.

(*t*) In *Annalibus Eccleſiaſticis*, ad Annum MCXLVIII. num. 13.

(*u*) In *Chronico*, ad Annum MCXLIX. p. 318.

Digitized by Google

Cantica Canticorum octogesimo (**) *idem dicens: si quid proprie de Deo dici possit, rectius congruentiusque dicetur, Deus est magnitudo, bonitas, justitia, sapientia; quam Deus est magnus, justus, bonus, & sapiens. Unde non immerito nuper in Concilio, quod Papa Eugenius nuper Remis celebravit, tam ipsi, quam ceteris Episcopis perversa visa est & omnino suspecta expositio illa in libro Gisleberti Pictavensis Episcopi, qua super verbo Boëtii de Trinitate Sanctissima atque Catholica commentabatur hoc modo:* „ *Pater est veritas, id est, verus: Filius* „ *est veritas, id est, verus: Spiritus Sanctus est veri-* „ *tas, id est, verus: & hi tres simul non tres veri-* „ *tates, sed una veritas, id est, unus verus*". *En obscuram perversamque explanationem, quoniam verius saniusque per contrarium dixisset: Pater est verus, id est, veritas: Filius est verus, id est, veritas: Spiritus Sanctus est verus, id est, veritas, & hi tres unus verus, id est, una veritas.* Quis non rideret hanc Bernhardi emendationem, tanquam puerilem, nisi auctor ejus fuisset Bernhardus? Addit Albericus: *Petri Abaelardi & Magistri Gisleberti quidam* (***) *discipuli, nimium zelantes pro ipsis, B. Bernhardo detrahere coeperunt, quorum unus Magister Stephanus dixit,*

(**) Fol. 181. litt. I. K. edit. Operum Bernardi, Paris. 1566. fol.

(***) De eis BERNARDUS, l. c. *Sed haec minime jam contra ipsum* Gillebertum *loquimur, quippe qui in eodem conventu* Remensi *sententiae Episcoporum humiliter adquiescens, tam haec quam cetera, digna reprehensione inventa, proprio ore damnavit, sed propter eos, qui adhuc librum illum* (Gilberti super Boëthium) *contra Apostolicum utique promulgatum ibidem edictum transcribere & lectitare feruntur, contentiosius persistentes sequi Episcopum, in quo ipse non stetit, & erroris, quam correctionis magistrum habere malentes.*

xit, ſe ipſum interfuiſſe illi Remenſi Concilio, & Bernardum noſtrum nihil adverſus Gislebertum ſuum praevaluiſſe. GAUFRIDUS, B. Bernhardi notarius, adſectator, & in Clara Valle ſucceſſor, libellum compoſuit adverſus Gilbertum, ac ſententiam ejus ita exponit, exceptam ex Commentario ejus in librum Severini Boëtii de Trinitate, quam eo fine cum lectoribus communicabo, ut, Gilbertum Tritheiſmo docuiſſe contraria, clare intelligatur. Gilberti doctrina fuit haec: " *Pater veritas, id eſt,* „ *verus: item Filius veritas, id eſt, verus: Spiritus* „ *Sanctus veritas, id eſt, verus. Et collectim Pater* „ *& Filius & Spiritus Sanctus veritas, id eſt, verus;* „ *ſed ſunt una ſingulariter & ſimpliciter veritas, id* „ *eſt, unus verus. Qui homo eſt, ut Plato, vel Ci-* „ *cero, vel Tripho, vel qui Deus eſt, ut Pater, vel* „ *Filius, vel Spiritus Sanctus, quod dicitur illorum* „ *quilibet eſſe homo, & iſtorum quilibet eſſe Deus;* „ *refertur ad ſubſtantiam, non quae eſt, ſed qua eſt.* „ *Quum dicitur Deus, Deus, Deus. Primum de* „ *Patre, ſecundum de Filio, tertium de Spiritu San-* „ *cto, eorum quidem, qui ſunt Deus, numeratio fa-* „ *cta eſt; verum ejus, qua ſunt Deus, repetitio.* " Deinde Gaufridus hiſce exponendis adpellit animum, ita tamen ut Gilberti mentem haud ſatis videatur adſecutus. *Tria* illa *ſingularia* Gilbertus certe aliter expoſuit ac Gaufridus. Transferemus huc verba Gaufridi, quibus Gilberti ſubtilitatibus illuſtrationem ſuam adjungit, id tamen prae ſe ferens, ut candide fateatur, Gilbertum plures Deos nequaquam admiſiſſe. En verba: *Id ergo, quo eſt, unum eſſe in Trinitate conſentit, formam illam ſcilicet & naturam Deificam, matremque, ut ita dixerim, Trinitatis. Porro, quod haec eſſentia eſt, non, unum in Trinitate eſſe,*

contendit, ſed tria ſingularia quaedam, tres res numerabiles unitatibus tribus; quarum prima ſit Pater, ſecunda Filius, tertia Spiritus Sanctus: idque miraculi docet in beata illa Trinitate credendum, & in eo fidei meritum omne conſtituit, ut formam numero unam in rebus eſſe pluribus fateatur. Illius nimirum unitas formae ſola in cauſa eſt, NE PLURES DICANTUR DII, quibus divinitas eſt una communis. Ex qua Gaufridi expoſitione id ad minimum conſequitur, Gilbertum in eo fuiſſe totum & perquam induſtrium, ut caveret ac impediret, ne tres perſonae, quae unam eamdemque divinitatem poſſident, crederentur tres Dii, tantum abeſt, ut in Tritheiſmum inciderit, vel ulla ratione tres Deos admiſerit. Bernhardus rerum earum, quas notabat ac cenſura dignas credebat, erat imperitus. Gilbertus diſtinctiunculas invehebat in Theologiam & ſubtiliſſimas & ſupervacuas. Quare uterque nobis praebet ſpeculum, in quod eos, qui temerarios Theologorum mores oderunt vel exuere debent, decet intueri.

§. XII. JOANNES LAMIUS (*x*) ſeveram cenſuram in RAYMUNDUM, cognomento *Neophytum*, qui ex Judaeorum magiſtro factus erat Chriſtianus, exercuit, eo quod reliquos inter errores hunc quoque foverit, quo, *ſolum Deum Patrem eſſe optimum, Dei filium eſſe bonum in primo gradu, Spiritum vero Sanctum in ſecundo gradu*, tradiderit, atque hac ratione diſcrimina in divinitate conſtituerit, perſonas vero individuas profana ſeparatione divulſerit. Fateor aperte, mihi Raymundi illius linguam non ſatis eſſe perſpectam. Si ipſe gradibus virtutum ac perfectionum perſonas divinas aeſtima-

re

(*x*) De *Recta Patrum Nicaenorum fide*, p. 125. ſq.

Digitized by Google

re docuit, ac ſolum Patrem infinitis eminere perfectionibus arbitratus eſt; tum ad Arianos eſt referendus, ni ad Photinianos, quos exſtitiſſe Tritheitas jam ſupra negavi.

§. XIII. JOACHIMUS, Monachus Ordinis Ciſtercienſis in Coenobio Sambucinenſi dioeceſeos Anglonenſis, in Lucania, deinde Abbas Monaſterii de Curacio, in Calabria, ac tandem conditor primuſque Abbas Coenobii ac congregationis Florenſis, de Trinitate ſentire viſus eſt nonnullis ea, quae favent Tritheiſmo. Edidit enim librum contra Petrum Lombardum, quem inſcripſit de *Unitate, ſeu Eſſentia Trinitatis.* Copioſe de eo egit CAROLUS *du* VISCH (*y*), conciſe vero vitam ac ſcripta ejus recenſuit immortali gloria digniſſimus GUILIELMUS CAVE (*z*) ad Annum MCCI. Vitam hujus Joachimi ſcripſit Fr. Jacobus Graecus, Ordinis Ciſtercienſis. Exſtabat ea in Bibliotheca Conſtantini Cajetani, Abbatis Caſſinenſis, qui ipſe ſcripſit Librum Apologeticum de Fidei ſinceritate & vitae innocentia Joachimi Abbatis, uti conſtat ex T. II. libri, qui inſcribitur: *Bibliotheca volante di Giov. Cinelli Calvoli*, p. 14. ed. 2. ROBERTUS BELLARMINUS, veluti Homerum in nucem redacturus, haec paucula de Joachimo (*a*) adtulit: *Joachimus, Abbas Florenſis monaſterii, vivebat Anno* MCXCV. - - *Circumferuntur quaedam vaticinia ſub ejus nomine, de futuris Pontificibus Romanis, quae quam fidem mereantur, aliorum eſto judicium: illud mirum eſt, quod quum ea vatici-*

(*y*) In *Bibliotheca Scriptorum Ciſtercienſium*, p. 172.
(*z*) In *Hiſtoria litteraria Scriptorum Eccleſ.* p. 618. ſq.
(*a*) De *Scriptoribus Eccleſ.* ad Annum MCXCV. p. 193.

ticinia ad ſolos XV. *Pontifices pertineant, tamen curioſitas hominum ad noſtra uſque tempora extendere illa conatur.* Vixit ipſe ad Annum uſque MCCI, ad quem (*b*) Albericus, trium Fontium Monachus, ex alio Alberico haec adnotavit, memoratu & ſcopo noſtro ſatis digna: *Obiit in Italia verſus Romam Joachim, ſcriptor novus, Abbas quondam de Curacio, Ciſtercienſis Ordinis, qui ſuper Apocalypſin Joannis & ſuper dicta Prophetarum quaſdam concordantias edidit de temporibus praeteritis & conjiciendo futura tempora, qui multo aliter ſentire videtur de adventu Antichriſti, quam quidam noſtri temporis, qui de die & in diem ſimplicium corda ſollicitare temere ſatis praeſumſerunt. — Scripſit idem Joachim libellum quendam de Trinitate, in qua Magiſtrum Lombardum, in Sententiis, redarguere praeſumſit, pro qua praeſumtione Papa Innocentius* (tertius) *in magno Concilio, poſtmodum Romae celebrato, eumdem libellum damnavit & ſententiam Magiſtri Petri, quae obſcura videbatur, explanavit. Tamen ceterà Joachimi opuſcula & vitam ejus religioſam & morum inſtitutionem & eruditionem, quam in Florentino* (Florenſi) *monaſterio reliquerat idem Joachim, Papa Innocentius tertius non improbavit, ſed approbando commendavit.* Hactenus nullum Tritheiſmi crimen ei fuiſſe objectum, laeti ac ſecuri intelligimus. Decantata illa Joachimi Abbatis vaticinia Hieronymus Wolfius inſeruit *Lectionibus ſuis Memorabilibus* (*c*). Liber, quem Joachimus adverſus Lombardum ediderat, inſcribitur de *Unitate, ſeu Eſſentia Trinitatis.* Quia Joachimus Sententias Lombardi paullo atrocius invaſerat, Innocentius III. in

(*b*) Parte II. Chronici, p. 424. edit. Leibnit.
(*c*) Tom. I. p. 144.

in Lateranenſi Concilio, cui Anno MCCXV. praeſedit, impetum ejus repreſſit, ac librum Joachimi damnavit. Id vero exinde accidit, ut ex Sententiis Lombardi poſtea excerperetur indiculus nonnullarum, quae minime docerentur. Quae ad calcem Sententiarum deſignantur hunc in modum: *Articuli, in quibus Magiſter Sententiarum communiter non tenetur* (*d*). Nullam Innocentius III. in Joachimo notavit vel damnavit haereſin, laudavit eum potius, quod Joachimus omnia ſua ſcripta Pontifici ſummo adſignari mandaverit, ac Apoſtolicae ſedis judicio approbanda ſeu etiam corrigenda tradiderit. Id unum Papa notavit in Joachimo, quod hic, libello in Lombardum edito, Lombardum vocaverat inſanum & haereticum, motus quadam loquendi formula, ſibi minus probata, quam Petrus Lombardus de Trinitate adhibuerat. Tradiderat enim hic, in Sententiis (*) ſuis, quomodo quaedam ſumma res ſit Pater & Filius & Spiritus Sanctus, ac illa non ſit generans, neque genita, neque procedens. Intelligebat per eam Petrus nil aliud, ac ipſam eſſentiam Dei. Concluſiones & corollaria ex Petri illo pronuntiato deducebat Joachimus, credens, Lombardum non tam Trinitatem, quam Quaternitatem in Deo adſtruere. Innocentius ſanam verbis Petri adjunxit expoſitionem, & accuſationem Joachimi, veluti frivolam, rejecit ac damnavit (*e*). Nil praeterea Joachimo objectum, nil amplius in eo fuit notatum.

(*d*) JOAN. LAUNOY, de *Varia Ariſtotelis fortuna in Academia Pariſienſi*, c. 3. p. 192.

(*) *Libro* I. *Sentens. Diſtinct.* V.

(*e*) *Bartholemaeus* CARANZA, in *Summa Conciliorum*, p. 600. ſqq. edit. Duaci 1679. 8.

Videbatur quidem Joachimus unitatem essentiae, tribus personis, quae sunt Deus, communem, in communionem & similitudinem, qualem tres homines, respectu naturae suae humanae, habent invicem, convertere. Verum nec hoc pacto fuit Tritheismi reus. Propugnavit enim unam Dei essentiam, eo curam omnem intendens, ut ea perstaret firma ac recte crederetur. Accedit, quod Joachimus, admodum senex, de divina Trinitate in Psalterii expositione, haud secus ac par est, senserit, quum extra concertationis aestum esset positus. Thomas Aquinas, Suarez, Vasquez, Canariensis, & Argentina in Joachimum fuerunt inclementiores, (*f*) rati, ipsum docuisse, essentiam divinam unam generari ab altera, eo quod Concilio Lateranensi illa formula fuerit repudiata, qua dicitur essentia ab essentia generari. Verum haec formula Concilio illo haud fuit damnata. Fundit enim ipsa sensum geminum, unum tolerandum, nec veteribus Ecclesiae Doctoribus inusitatum; alterum vero falsum & expungendum, prouti essentia sumitur bifariam, vel quatenus inest cuilibet personae divinae, vel quatenus ab intellectu nostro (in signo rationis) separatur ac abstrahitur a personis.

§. XIV. GUIDO, ex Eremitarum D. Augustini familia monachus, a Joanne Lamio (*g*) in crimen vocatur Tritheismi, eo quod, Anno MCCCLIII. a Theologorum Parisiensium collegio ejurare & condemnare coactus fuerit hanc propositionem: *Est dare plures unitates, quae non faciunt numerum.* Ipse indu-

(*f*) *Dionysius* PETAVIUS, *Theolog. Dogmat.* L. VI. de Trinitate.

(*g*) De *Recta Patrum Nicaenorum fide*, p. 128.

indubie id ſenſit, *cogitari poſſe plura, quorum ſingula dicantur Unum, quae tamen re ipſa non ſunt plura.* Scholaſtici dicunt: *In ſigno rationis varia ſeparantur & dividuntur, quae extra ſignum rationis haud ſunt diviſibilia.* Objicis, hoc Guidonis ſcitum ac pronuntiatum januam aperire Tritheiſmo, ſi ad Trinitatem accommodetur ac trahatur. Verum a me impetrare nequeo, ut rationes, eo concludendi ac argumentandi modo, ſubducam. Ego potius eo in omnia alia, ratus, tres perſonas tolli ea accommodatione ac unam duntaxat conſtitui. Guido itaque, ſi propoſitionem illam ad dogma Trinitatis exponendum tranſtulit, in caſtris Unitariorum militavit, totoque, quod ajunt, coelo disjunctus fuit a Tritheitis. Sed quis adfirmabit, an Guido pronuntiatum illud ad exponendam Trinitatem adhibuerit?

§. XV. JOANNES LAMIUS porro eſt (*b*) in eo, ut credat, ſaeculo XIV. medio, in ſinu Angliae nonnullos ſeſe continuiſſe Tritheitas. Ut fidem nobis faciat, ad cenſuram provocat Simonis Langami, Archiepiſcopi Cantuarienſis, qui Jureconſultos Theologoſque plurimos Lambethae congregaverit, ut ſerpenti cuidam per Angliam haereſi in tempore mederetur, vel obicem poneret. In Concilio illo improbata diriſque omnibus expoſita ac devota fuit haec nonnullorum ſententia, opinantium, *Patrem in divinis eſſe finitum, Filium in divinis eſſe finitum, & ſolum Spiritum Sanctum eſſe infinitum.* Opinio damnantium potuit eſſe vera & ſincera. Nec tamen fit veriſimile, eos, qui ita docuerant, credidiſſe, Deum hoc ſenſu eſſe finitum, ut vel

(*b*) Loco laudato, p. 128.

non ſit ſempiternus, vel perfectionibus nonnullis careat. Exquirenda idcirco prius fuiſſet notio, quam ipſi animo informaverant de finito & infinito. Finitudo enim alia eſt, quae ineſt ſubſtantiae; alia eſt, quam vocamus relativam, quae in modo cogitationis noſtrae duntaxat conſiſtit. *Spiritus Sanctus* notat vel eſſentiam divinam, abſolute ſpectatam, vel tertiam ejus perſonam. Si finitudinem relativam & imaginariam, notionibus perſonalibus accommodatam, ei, qui ſic tradiderant, intellexerunt, per quam Pater non generatur, Spiritus Sanctus non generat, Filius non generat, ſed generatur; tum ipſos excuſatione dignos exiſtimo. Quum vero hae relationes ad eſſentiam divinam, per ſeſe conſideratam, haud ſpectent, ipſi potuerunt, ſalva veritate, *Spiritum Sanctum*, id eſt, illam Dei eſſentiam dicere infinitam, hoc eſt, immunem ab illa relativa finitudine. Ipſos mentem ſuam ita evolviſſe, ipſos haud aliter ſenſiſſe, non vehementer contendo vel propugno. Id tamen mihi concedent omnes ac largientur, quod ipſi fuerint homines, non ſtipites; praediti ratione, non trunci: ad doctrinam Chriſti ab ineunte aetate adducti, non Abderitae vel Getae. Quam ob cauſſam, quum partes reorum ſemper ſint favorabiliores, ei, qui haereſeos accuſantur vel accuſati leguntur, magis excuſandi, quam atro carbone notandi ſunt, inprimis quum ipſorum opinio verbis maxime obſcuris & caliginoſis fuit expreſſa.

§. XVI. Notat deinceps Joannes Lamius quamdam loquendi formulam, qua imprudenter & inconcinne Joannes Monteſonus, Ordinis Dominicani Monachus, uſus fuiſſe perhibetur. Ipſe hanc adhibuit enuntiationem: *Major eſt unio hypoſtatica in*

Digitized by Google

in Chriſto, quam unio trium perſonarum in eſſentia increata. Lamius credit, eum ea propter cum Tritheitis aliquatenus facere videri. At ſalva res eſt. Monteſonus unam eſſentiam ſupremam & increatam docuit, tres perſonas divinas earumque unionem docuit, unionem hypoſtaticam in Chriſto, naturam divinam inter & humanam, docuit. Quid ei magis tradunt ſanum, qui incorruptam Eccleſiae genuinae doctrinam amplectuntur? Comparationem inde effingere ac unionem perſonarum cum unione hypoſtatica conferre invicem, haud erat opus. Ea enim, quorum unum menſuratur & per comparationem refertur ad alterum, ſint homogenea, ejuſdem generis & ſpeciei, oportet. Nihilominus ſenſum videtur Monteſonus adhibuiſſe ſatis dextrum ac integrum, ratus, unionem eam eſſe majorem, qua humana natura ita cum divina Chriſti natura fuit conjuncta, ut illa in hujus perſonalitatem fuerit aſſumpta, ac propria perſonalitate careat. Quod ſi haec unio vocatur major ea, per quam una perſona cum altera, per eamdem eſſentiam & unam, conjuncta eſt, nec tamen ulla earum propriam perſonalitatem, per & propter unionem illam, amittit; tum non video, quid in propoſitione Monteſoni ſit carpendum & vituperandum. Ut ſummatim, quod res jubet, dicam, Tritheiſmi in Monteſono adparet nec vola nec veſtigium; formula autem loquendi eſt minus circumſpecta, inſolita, inuſitata, inutilis, infructuoſa, & repudianda.

§. XVII. Reſtat VALENTINUS GENTILIS, ex Campania Neapolitana ortus, qui, quum Lutherus Germaniam illuſtraret, Arianam ſentiendi libidinem ab inferis revocavit, docens, dari tres perſonas aeternas, ſed eſſentiarum diſſimillimarum. Erroris

roris ſui convictus palinodiam Genevae cecinit & ad frugem ſeſe rediiſſe ſimulavit. Paullo poſt veterem denuo cecinit querelam, ac cum Georgio Blandrata & Joanne Paulo Alciato in Poloniam venit. Inde ejectus egit in Moravia aliquamdiu inter Anabaptiſtas. Abiit porro in Tranſilvaniam, inde Viennam, porro in Sabaudiam, ubi a Praefecto Bagiarenſi comprehenſus & Bernam miſſus eſt. Heic error ipſi poenam capitis conſcivit. Antequam obtruncaretur, alta proclamavit voce, indicans, ſeſe pro gloria Dei Patris mortem oppetere. Capite fuit plexus, Anno MDLXVI. Tritheiſmum an proprie dictum propugnaverit, merito quaerimus. Si ſtatuit ac pro vero reputavit, tres exſiſtere Deos, aeque perfectos, ſimillimae, immo aequalis, hoc eſt, aeque infinitae eſſentiae participes; tum a Tritheiſmo abſolvi non poteſt. At quis non videt, ipſum pro excellentiſſimo omnium rerum Principe habuiſſe Deum Patrem, ad cujus perfectionem Filius & Spiritus Sanctus haud accedant? Admiſit ea propter ſubordinationem, inaequalitatem, & diſſimilitudinem. In primis poſt palinodiam Arianiſmo dilucidius album adjecit calculum, ac aeternitatem, Filio & Spiritui Sancto antea adtributam, reſtrinxit. Nihilominus Romani haereſeon judices, eum fuiſſe Tritheitam, exiſtimarunt, unde conſuetudo exorta eſt, Arianos vocandi Trinitarios, Socinianos vero Unitarios. Utrique, opinor, ita vocantur in *Bulla Coenae Domini*, per quam ſingulis annis haeretici, quos Roma numerat, diris omnibus in die Viridium, ſeu Coenae Domini, devoventur. Et hactenus neminem, Chriſtiano nomini addictum, deprehendere licuit, qui vere & proprie fuerit Tritheita.

OB-

OBSERVATIO XIII.

De Ossibus Christi haud fractis in cruce ac sepulcro; Joan. XIX. 33. *ex vaticinio* Ps. XXXIV. 20. 21.

§. I. *Bernhardi sententia de loco Hieropsaltae*, Ps. XXXIV. 20. 21.
§. II. *Locus ille de Messia agit, dura perpesso pro nobis.*
§. III. *Messias cognominatur justus.*
§. IV. *Ejus solius ex hominibus mortuis ossa manserunt illaesa, inviolata, incorrupta, ac minus fracta.*
§. V. *Solatium Euangelicum, inde depromendum.*

§. I.

BERNHARDUS, Abbas Clarevallensis, in Sermone de Cute, Carne & Ossibus animae, ad Ps. XXXIV. 20. 21. commentatus fuit (*a*), ac ita disseruit: *Quod nemo dictum esse de corporeis ossibus arbitretur, praesertim quum tot beatorum martyrum ossa confracta sint manibus hominum impiorum & contrita dentibus bestiarum.* Demonstrat deinceps idem, animam hominis esse individuam, non extensam, partibus carentem. Ut igitur allegoricam adferat expositionem, sese constrictum esse & adductum putat. Cutem exponit per cogitationem, carnem per mentis affectionem, & ossa per destinationum ac propositorum constantiam, quia *nunquam frangatur propositum cordis justorum.* Quis non miratur,

(*a*) Fol. 84. p. 2. L.

Digitized by Google

ratur, virum, alioqui ſacrarum litterarum peritiſſimum, ad eam explicationis audaciam prolabi potuiſſe? Sed legit in verſione ſua, qua utebatur, Latina: *Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum, unum ex his non conteretur.* In Ebraico non deprehendimus *oſſa eorum*, ſed עַצְמוֹתָיו *oſſa ejus*, juſti ſcilicet, de quo inſtituta fuit commemoratio. Haec unica vox Bernhardum in avia & allegoricum aequor praecipitavit. Non vacat, aliorum proferre interpretationes, quas dare ſingulas, in tanta librorum multitudine, non eſt virium humanarum opus, ſed opis divinae.

§. II. Is, cujus oſſa non erant frangenda, fuit ipſe Meſſias, quem David ſaepius, quam vulgo credimus, nobis ob oculos poſuit. Si enim per *juſtum* intelligamus quemvis de grege Domini pium, tum infitiari utique non valemus, multos exſtitiſſe juſtos, quorum oſſa fuerunt combuſta, dentibus ferarum dilacerata & diſrupta, fracta & diſſipata, compreſſione humi diviſa, & a ſandapilariis operariis, ſeu veſpillonibus, diverberata. Quare non de quovis juſto Hieropſaltes commentatur, nec allegorias effundit, ſiquidem verba, proprie accepta, lucem ſuam continent longe clariſſimam reliquoque veritatis divinae complexui conformem: ſed de juſto illo vaticinatur, qui id habuit eximii, ut ipſi, jam demortuo, nullum os fuerit laeſum, fractum, aut violatum.

§. III. Ille vero *juſtus*, צַדִּיק, δίκαιος, eſt ipſe Meſſias, Dei hominiſque filius. Fidem oculatam dant nobis ipſa ſacrarum litterarum oracula, nominatim Eſ. LIII. 11. Zach. IX. 19. Act. III. 14. VII. 52. 1. Pet. III. 18. 1. Joan. II. 1. Jer. XXIII.

5.

5. XXXIII. 15. (*b*). Qua de cauſſa ipſe etiam dicitur יְהוָה צִדְקֵנוּ *Dominus juſtitia noſtra*, Jer. XXIII. 6. ab indole tum eſſentiae, tum operationum in regno & naturae, & gratiae, & gloriae, in quo eum juſte habenas imperii eſſe moderaturum, idem praedixit Propheta, inciſo quinto. Si omnia loca inter ſeſe, collatione inſtituta, contendimus, notio, quam de juſtitia informare decet animo, promte ſuccurrit. Juſtitia enim eſt ſtudium promtiſſimum conferendi bona ad ſapientiae, quae objecto eſt conformis, regulam & habitudinem. Qui ſuum cuique tribuit, ac tantum boni concedit, quantum alii capere poſſunt, is jure meritoque adpellatur juſtus. Chriſtus Patri honorem & ſacrificium pro peccatis hominum, quibus Sanctitatem Dei violaveramus, exhibuit. Chriſtus hominibus conceſſit remiſſionem poenae ſempiternae, interpoſito redemtionis pretio. Sed, quia praefracte improbi nequeunt gratiae praemia capere, vel Sanctiſſimum Deum habere amicum, ea propter oblatam omnibus veniam, ſub conditione fidei vivae ac genuinae, demum adplicat animoque inſinuat: Qui bonitatem ejus adripiunt ac conditionem propoſitam ex viribus, quas clementer ſuppeditat, implent, eis tribuet bona aeternum continuanda; qui e contrario inimicitiam Dei, delictis admiſſis, praeponunt amicitiae ſupremi Regis, ei ſeſe in eum praecipitant ſtatum, in quo tandem boni nullius ſunt amplius capaces. Juſtitiam itaque ſuam Chriſtus in regno gratiae expromit, dum

(*b*) TYMPII Diſſ. de *Ultimis Davidis verbis*, p. 706. Tom. I. Theſauri Theologico-Philologici Haſaeo-Ikeniani.

dum ſuos tuetur & defendit, malis vero & Eccleſiae inſectatoribus repagula opponit: dum gratiam ſuam ac gratiae vires eis auget, qui exemplo Dei Sanctiſſimo, ſeu perfectionibus eis moralibus ſeſe conformant; eis vero gratiam ſubtrahit vel imminuit, qui ea ad libidines ſuas, vel ad nocendum aliis abutuntur. Ipſe porro ſuum cuique, ſecundum opera, tribuet, bonis bona, malis mala, in die novisſimo mercedem ſingulis adſignaturus. Tum Chriſtus regnum gratiae tollet Patrique reddet, qui eo uſque ſufflaminaverat poenam, ab hominibus jam olim promeritam. Ob hanc multiplicem juſtitiae ſuae lucem ac declarationem conſtantiſſimam, Chriſtus adpellatur & *juſtus* & *juſtitia*.

§. IV. Oſſa hujus juſtiſſimi Regis manſerunt in ipſa cruce ac in ſepulcro illaeſa, nequaquam fracta. Quis, oſſa Adami, Noachi, Abrahami, Jacobi, Joſephi, Sauli & aliorum, pietatis laude florentium, virorum adhuc nondum eſſe fracta, contrita, ac in pulverem comminuta, ſibi perſuadebit? Oſſa Ignatii, ſanctiſſimi illius martyris, leones fregerunt & dilacerarunt. Et quot praeterea Chriſtiani cum leonibus, inſtar beſtiariorum, depugnare debuerunt? Spectaculum illud adeo frequens erat & iterum iterumque repetitum, ut, teſte Tertulliano, ſolemnis inde populi vox & formula eſſet enata: *Chriſtianos ad leonem.* Plura dederunt idem Tertullianus, *de Spectaculis*; Prudentius, *de Coronis*, Octavius Ferrarius, *de Gladiatoribus*, ac Ven. ſummuſque Fautor, Joannes Laurentius Moshemius, *in Diſſ. de Paulo, liberato ab ore leonis.* Taceo eos, qui hiſtorias Martyrum ſcripſerunt. Inter Reformatos Joannes Criſpinus *Martyrum volumina* primus emiſit, cujus quoque cura ſumtibuſque prodierunt Ge-

Digitized by Google

Genevae, 1560. 4. *Actiones & Monimenta Martyrum eorum, qui a Wiclefo & Huſſo ad noſtram hanc aetatem in Germania, Gallia, Britannia, Flandria, Italia & ipſa demum Hiſpania veritatem Euangelicam ſanguine ſuo conſtanter obſignaverunt.* Promittit Criſpinus, in praefatione, ſe plura ejus generis monimenta eſſe editurum. An fidem datam liberaverit, mihi non conſtat. In Anglia ante aliquot annos conſimile opus fuit in lucem publicam emiſſum, quo martyria Proteſtantium percenſentur. Amſtelodami prodiit, ſumtibus Schipperi; 1671. fol. *Hiſtorie der Martelaren.* Et inter Italos quoque argumentum hoc adtigit Marcus Antonius Boldetti, in libro, 1720. Romae fol. edito, cui inſcriptio: *Oſſervationi, ſopra i Cimeterii de Santi Martiri & antichi Chriſtiani di Roma* (*c*). Provocarem quoque ad Martyrologia, niſi ea paſſim eſſent interpolata. In praeſens id ſuffecerit monuiſſe, Martyrum nonnullorum oſſa fuiſſe combuſta & violenter lacerata (*d*) ac fracta. Ipſi Chriſtiani, reliquiarum cultores, ſaepius partes ex oſſibus Martyrum fregerunt, ac fracta, ni alia via eis potiundi pateret, furtis ſubduxerunt, quibus encomia incauti impertierunt ſcriptores. Quis igitur illa Hieropſaltae verba accipiet & interpretabitur de juſto quovis, quae ſic habent: רַבּוֹת רָעוֹת צַדִּיק וּמִכֻּלָּם יַצִּילֶנּוּ יְהוָה שֹׁמֵר כָּל־עַצְמוֹתָיו אַחַת מֵהֵנָּה לֹא נִשְׁבָּרָה *Multae ſunt calamitates juſti, verum*

V

(*c*) Conf. *Acta Eruditorum Germanica*, Lipſiae edita, P. LXXXI. p. 607. ſqq.

(*d*) Conf. *Diſſertationem Apologeticam pro Sanctarum, Perpetuae, Felicitatis, & Sociorum Martyrum Orthodoxia adverſus Sam. Baſnagium, auctore R. P.* JOSEPHO AUGUSTINO ORSI, quae edita fuit Florentiae, 1728. 4. & a nobis ad Nova Eruditorum Acta per compendium relata.

rum ex universis illis eripiet eum Dominus, regens & servans singula ejus ossa, ita ut ne unum quidem ex illis frangatur. Justus ille est Messias (§. 3.), qui loco nostro ac pro nobis calamitates pertulit & exantlavit exquisitissimas & maximas, eis non succumbens, sed glorioſe ex eis ereptus, Es. LIII. 8. id quoque eximii habens prae ceteris justis, quod ossa ipsius manserint inviolata, integra, & ab omni fractionis periculo libera. Ossa reliquorum, sepulcro illata, solvit tempus edax rerum & vespillonis labor, novis sepulturis deditus.

§. V. Quae Christi excellentia & praerogativa nobis insigni est solatio. Certi enim reddimur de eo, quod Jesus exstiterit Messias, simulatque convincimur, ipsum fuisse justum illum, calamitatibus omnibus oneratum, e quibus glorioſe fuerit ereptus & evectus, cujusque ossa nequaquam fuerint fracta, licet parum abfuerit, quin milites Romani ossa ejus frangere tentassent. Unde veritas promittentis Dei elucet, qui fidem suis datam nec negligit, nec migrat, nec oblivisciturr, ipsisque, invalescente calamitatum cumulo, gratiam olim promissam clementissime impertitur ac instillat. Confirmatos nos sentimus in veritate de resurrectione Christi, dum convincimur, corpus Christi mansisse inviolatum & incorruptum, liberum ab omni violenta diffractione, vel dilaceratione, nec ullum corruptionis pertulisse vestigium. Praedixerat enim jam David hanc Messiae excellentiam, Ps. XVI. 10. quam solide expoſuerunt Apostoli, de Christo vere mortuo & redivivo testes omni exceptione majores, Act. II. 27. 31. XIII. 35. Admiramur praeterea sapientiam Dei, quae eo ipso, quod ossa Christi non fuerunt fracta, veritatem illam, quae Christum eodem suo cor-

Digitized by Google

corpore revixiſſe ac reſurrexiſſe docet, ſartam tectam ſervavit, partim ut oſtenderetur, Meſſiam eſſe illum agnum Dei, quem agnus Paſchalis denotaverat, partim ut corpus Meſſiae ab omni mutatione majori maneret immune diſtinctiuſque ab eis agnoſci poſſet, qui cum redivivo erant commercium renovaturi. Dicitur Deus Pater *conſtituiſſe ſepulcrum Jeſu, veluti facinoroſi, mortem vero ejus, tanquam divitis*, Eſ. LIII. 9. Varia heic tentarunt intrepretes, ut locum difficillimum redderent planum; quorum ut diligentiam veneror, ita laudes non imminuo. Liceat tamen & mihi periculum facere, an difficultatem, qua verba Prophetae videntur implicata, poſſim, ni ſolvere, certe adtenuare. Conjecturas itaque meas ſic inſtituo. Divitum oſſa reſervata ſunt integra, honorata & inviolata. Status mortis, in quo erat Jeſus, ita erat comparatus, ut oſſa ejus a fractione perſtarent immunia. In mortis itaque illo ſtatu Jeſus divitibus fuit ſimilis, dum integer fuit relictus ac aromatibus pretioſiſſimis perfuſus. At conſtitutio ſepulcri adumbrabat ſimilitudinem ejus hominis, qui ob impoſturae metum cuſtoditur & ob facinora prava in cuſtodiam datus vinculiſque conſtrictus latet. Nam Jeſus in ſepulcro, tanquam facinoroſus in vinculis & cuſtodia, inſtar impoſtoris, adſervabatur, a militibus, ad oſtium ſepulcri ſtantibus, diligentiſſime detentus. Sed judicent alii, quam recte ita conjecturas duxerim. Succurrit tamen aliquid ſcrupuli, qui ſolicito & dubitationibus circumfuſo incidere poteſt animo. Fieri ſane poteſt, ut ſint, qui credant, Chriſtum non vere mortem obiiſſe, eo quod oſſa ipſius haud ſint fracta. Verum Euangeliſta Joannes huic occurrit dubio, docens, ſpeculatorem Ro-

manum, lancea inſtructum, non quidem oſſa fregiſſe Jeſu, latus vero ipſius, ſiniſtrum credo, fodicaſſe ac ita transfixiſſe, ut ſanguis & unda inde emanaverint. c. XIX. 35. Simulac cruor ac lympha ex thalamis cordis effuſus eſt in exanimatis, de morte ipſorum dubitatio amplius ſupereſt nulla (*e*). Non excludo id, quod accidit, miraculum, nec eis invideo translationes myſticas, qui eis delectantur. Ut vero myſticiſmus exegeticus ex ingenio nimis fecundo, vel ignorantia, ſenſum genuinum recte eruendi, plerumque exoritur, ita eum potiſſime venandum eſſe ſacrarum litterarum exiſtimo ſenſum, qui eſt vel logicus, vel e logico per juſtam argumentationem deductus, cujus ſpeciem arbitror eſſe ſenſum genuine myſticum. Oſtendimus itaque indicium luculentum, ex quo, Chriſtum re vera obiiſſe in crucis ligno, ſatis ſuperque pateſcit. Joannes aliud inde porro colligit argumentum, adverſus DOCETAS demonſtrans, Chriſtum non modo ob teſtimonia trium de caelo teſtium pro vero Deo eſſe habendum, ſed ipſum etiam verum fuiſſe hominem, cujus anima per effectus & operationes veram animae indolem indicaverit, atque cujus incomparabile corpus aquam & cruorem emiſerit, veluti totidem indicia veri corporis humani, quae ſuperſtructa erant teſtimonio militis, cuſtodum, & Joannis, teſtis oculati. Viderit lector, an non hoc docere contenderit Joannes, I. Ep. V. 7. 8. 9. & numquid hac ratione contextus orationis ſibi conſtet, de quo alias plerique interpretes admodum ſunt ſoliciti & haeſitantes.

De

(*e*) Idem ſentit WEDELIUS, in *Exercitt. Medico-Philolog. Centur.* I. *Dec.* III. *Exerc.* I.

De FELICI in terris Brunsvico-Wolferbuttelanis
COENOBIORUM REFORMATIONE

ORATIO SCHOLASTICA,

in examine publico intra ludum litterarium
Amelungesbornem recitata, Anno
MDCCXXXVII. 8. *Junii.*

AUDITORES PLURIMUM REVERENDI, CONSULTISSIMI, CLARISSIMI, ATQUE DOCTISSIMI.

Quamquam multa eademque praeſtantiſſima celebrantur inſtituta, quae, in generis humani ſalutem ſancita, per nonnullos ſaeculorum decurſus ſubſtiterunt, nec facile a prima pulcritudinis forma deſciſcere valuere; tamen major inſtitutorum optimorum datur numerus, quorum primordia uſquequaque exſtiterunt ſaluberrima, quorum progreſſus ſpei & deſtinationi auctorum haud reſpondit, ac quorum nomen ad extremum in corruptelas deſiit. Ut ea, quae de inſtitutorum ratione dico, exemplorum copia illuſtrem, nec utile nec neceſſarium eſſe exiſtimo. Revocate vobis, obſecro, in memoriam Coenobia, ac eorum, qui primi ea in terris occidentalibus inſtituerunt, conſilia praeclara atque ad laudem omnis poſteritatis commendabilia mecum expendite. Nonne primordia Coenobiorum extra omnem nequitiae vitiique maculam erant conſtituta? At quantum ipſa, temporis ſucceſſu, a ſplendore primo degenerarunt! Inſtituti indoles ac ratio prima a viris, praeſtabili pietate & ſcientia imbutis,

Digitized by Google

fuerat profecta. Verum vix effluxerat unum ac alterum faeculum, quum cognitio bonarum litterarum ac diſciplinae ſtudiorum divinae e Coenobiis exterminarentur & in exſilium ejicerentur. Quapropter ſummis juſtiſſimiſque omnino elogiis Duces ac Principes illi Sereniſſimi ſunt concelebrandi ac in coelum tollendi, qui Coenobiis ad ſuperſtitionum colluviem prolapſis primam reſtituerunt integritatem, ac ea iterum ſeminaria pietatis, virtutis, ac optimarum diſciplinarum eſſe voluerunt! Liceat mihi, pace veſtra, res haſce paullo altius repetere, ut unicuique pateſcat, Ducem JULIUM immortali encomio eſſe proſequendum, eo quod Coenobiorum, quae in terris ſuis tenebat, conditionem deformatam merito purgavit, & ea ad normam & ordinem inſtitutionis primae redegit, quemadmodum ipſi foederati Smalcaldici exemplo pulcherrimo per Ducatum Calenbergicum, Grubenhagicum, Gottingenſem, & Wolfebuttelanum, magnamque Epiſcopatus Hildeſienſis partem jam tum praeluxerant. Quem in finem animum induxi ad dicendum *de Coenobiorum hujus Ducatus indole prima, eorum depravatione* (*) *ac naevis, tandemque de felici eorum Reformatione.* Quod dum facere adgredior, VOS, AUDITORES, obſervantiſſime oro quaeſoque, ut, qui corporibus adeſtis, animis quoque benevolis adeſſe linguiſque favere dignemini.

I. Si igitur de eo ſoliciti ſumus primordio, ex quo Coenobia in occidentali ſeu Latina Eccleſia propul-

Iula-

(*) De utroque priori naevo ſcripſit HENRICUS PETREJUS generatim *Tractatum, Quo majores primum conſilio fundarint Coenobia? Qua deinde ratione creverint? Qua tandem a priſca veterum ſanctimonia degenerarint?* 1605. 4.

lularunt & in haſce terras uſque profluxerunt, non poſſumus, quin Auguſtinum, quondam Hipponenſium in Africa Epiſcopum & Praeſidem, nobis ob oculos ponamus. Is enim, teſte POSSIDIO (*), *factus presbyter, monaſterium intra Eccleſiam mox inſtituit: & cum Dei ſervis vivere coepit, ſecundum modum & regulam, ſub ſanctis Apoſtolis conſtitutam: maxime ut nemo quicquam proprium in illa ſocietate haberet, ſed ut eis eſſent omnia communia & diſtribuerentur, ſicut opus erat.* Haec Poſſidius. Deerant ſcilicet Afris Chriſtianis ea aetate loca publica, in quibus adoleſcentes ac juvenes poſſent optimis humaniorum litterarum diſciplinis ac doctrina Chriſtiana, tum ſolidiori, tum uberiore, erudiri & confirmari. Deerant ſumtus certi & a Magiſtratibus deſignati, quibus ingenia diſcipulorum inopum ſublevari ludorumque moderatores ali potuiſſent. Si quae florebant ſcholae, eae artibus oratorum, in cortice haerentium, ac diſputatorum perſonabant. Judicavit proinde Auguſtinus, e re fore Chriſtiana, ſi exſtarent ſeminaria (**), in quibus homines notitiam rerum divinarum & humanarum cum honeſtiſſimae vitae cultu ac illibatae virtutis caſtitate conjungerent. Inſtituit itaque ipſe, Anno CCCXCI. primus Coenobium illud, templo contiguum, in

(*) In *Vita Auguſtini*, c. V. p. 61. ed. Rom. 1731. 8.

(**) De reliquo haud infitior, Coenobia nonnulla per Galliam jam exſtitiſſe ſaeculo IV. Hoc enim diſtincte oſtendit Vir Illuſtris, D. JOH. JACOBUS MASCOVIUS, in libro praeſtantiſſimo, *Geſchichte der Teutſchen*, Part. I. L. VII. §. 38. In Norico, jam ſaeculo V. S. Severinus inſtituerat Coenobium Favianae in loco. Fridelinus, tempore Clodevei filiique Theoderici, ad Moſellam, in Vogeto, ad Rhenum, & in Rhaetia conſtituerat diverſa Coenobia. Idem, Part. II. L. XIII. §. 34.

quo ipſe vixit, & in quo juvenes, integri vitae ſceleriſque puri, ad veritatem religionis Chriſtianae ſtabiliendam ac ad artes ſeptem addiſcendas, intra continentiae & paupertatis praeſcripta, incumberent. Efflоruit brevi gloria hujus Coenobii, adeo ut coetus Chriſtiani, ſeu Eccleſiae, paſſim ſibi expeterent inde atque deligerent presbyteros & ſupremos rei ſacrae curatores. Poſtquam porro Auguſtini auctoritas ſimul cum ſcriptis & doctrina ejus longe lateque exſplendeſceret, inſtitutum ipſius monaſticum plurimis coepit arridere ipſiſque Pontificibus Romanis fuit probatum. Pertractabantur enim in collegiis illis votivis, ſeu Coenobiis, ſacrae litterae, expendebantur ſumma doctrinae vitaeque Chriſtianae capita: decantabantur hymni, in honorem Dei praepotentis amplificandum compoſiti: lectitabantur libri, ad vitam pie tranſigendam apti factique, inter prandendum & coenandum: ac ne qua rerum domeſticarum cura animos diſtraheret & ad viliora avocaret negotia, omnes ex communi & collato impendiorum corpore victum ac veſtitum obtinebant. Qui igitur rei Chriſtianae ſuppetias ire, vel incrementa & acceſſiones conſtituerant parare, in ſimilibus inſtituendis Coenobiis vires operamque collocare non omiſerunt. Inauditae erant antea ſeptem artium officinae: nondum inventae erant Academiae, quibus noſtra ſaecula inde ex ſaeculo XIII. eminent ac efflоreſcunt. Quocirca, AUDITORES, nemo dubitabit, quin providentia divina hoc pacto eum ſuppleverit defectum, qui alias rei Chriſtianae exſtitiſſet damnoſus. Unde facile intelligitur, inſtitutum venerabilis Auguſtini meritiſſimis laudum praeconiis ac ſtudiis Optimatum, qui illud certatim imitari conabantur, fuiſſe multo digniſſimum. Fran-

ci inprimis, ad religionem Chriſtianam adducti, Coenobia ad mentem Auguſtini condere ac reditibus annuis ornare coeperunt. Praecipue Joannes Caſſianus, Presbyter Maſſyliae in Galliis conſecratus, duo ibi monaſteria, virorum ſcilicet & mulierum, ſub initium ſaeculi quinti condidit, in quibus, fatente Tritthemio, regularis diſciplinae fervor magnus pluribus annis permanſit. Caſſianus, quondam Joannis Chryſoſtomi diſcipulus & adſectator, de libero hominum arbitrio ea ſparſit, quae a nonnullis Pelagii doctrinis parum abſunt. Quod ipſum ex libro ipſius patet, quem *Collationem* inſcripſit, & qui a Proſpero Aquitano fuit confutatus. Semina Semipelagianiſmi ex Caſſiani diſciplina vires vitamque accepiſſe, ac inde per Coenobiorum officinas ſparſa eſſe, plerique tradunt. Poſthaec, ſaeculo ſexto, BENEDICTUS Nurſinus, qui ex ludo Romae litterario in loca ſolitaria humanoque cultu vacua abierat, conſtruxit Coenobium Caſſinenſe, vitamque monaſticam ſeverioribus adſtrinxit regulis, in quibus magnum pretium ponitur hymnis decantandis, horis cantionum interdiu noctuque obeundis, nec non duriori victui & veſtitui; ſtudiis autem humanioribus ac divinioribus vix nonnihil temporis reſervatur. Ex hoc Coenobio montis Caſſini, in Campania Italiae ſiti, Monachi Benedictini, veluti agmine facto, ſeſe in Gallias, Angliam, Hiſpaniam & Germaniam paullo poſt diffuderunt. Perplacuit nihiloſecius Ordo uterque, tum ille ab Auguſtino, tum hic a Benedicto, conditus atque inſtitutus. Vix enim Coenobiorum, a Carolo M. exſtructorum, iniri poteſt numerus. Ac quid Ludovico Pio, qui admodum puer a patre, loco Regis, Aquitaniae fuerat praepoſitus, magis fuit

curae cordique, quam monaſteriorum exſtructorum copia? Lotharius, natu ejus maximus, erat ad Coenobia condenda paullo remiſſior, & in Monachos acerbior. At quo eventu? ipſe profecto cognomen PII & MAGNI haud reportavit. Accedit quod Monachi excogitaverunt fabulam (***), aliis perſuadentes, diabolos cum coelitibus de Lotharii animo & corpore invicem concertaſſe, ac abfuiſſe parum, quin diaboli de Lothario, aeternum ipſis adgregando, victoriam retuliſſent. Hemma, Caroli Craſſi mater, monaſterium S. Mariae, quod vulgo *Obermünſter* vocant, Ratisbonae erexit ac dotavit; Carolus vero Craſſus id confirmavit & in defenſionem immunitatis ſuſcepit. Hildeneshemenſe monaſterium prope baſilicam pro ſectatoribus inſtituti Auguſtiniani, ni potius Benedictini, fundavit LUDOVICUS, cui a pietate inditum fuit cognomen; Corbejenſe autem, tanquam propaginem ex veteri occidentalis Franciae Corbeja, ordini Benedictino adſignavit & contribuit. LUDOVICUS GERMANICUS, filius ipſius, & LUDOVICUS, Rex Franciae orientalis, ejuſdem Ludovici Pii ex Ludovico Germanico nepos, Coenobiis & condendis & ditandis omni arte & induſtria vacarunt, adeo ut Ludovicus junior, quum Corbejae ad Viſurgim horis hymnologicis intereſſet, ingenue fateretur, vitam monachorum eſſe vitam coelitum & angelorum (†). Carolus M. & ipſius filius Ludovi-

(***) ADEMARUS *Cabannenſis*, in *Chronico*, p. 162. *Chronicon S. Maxentii*, ſeu *Malleacenſe*, p. 198.

(†) ANNALES *Corbejenſes*, ad A. DCCCLXVII. p. 298.

dovicus Pius in id maximo incubuiſſe ſtudio referuntur, ut monaſteria eſſent officinae & pietatis & ſtudiorum. Eam ob cauſſam Carolus doceri juſſit ſeptem artes liberales, eaſque in palatio regali Aquisgranenſi curavit depingendas. Ludovicus porro Pius diſciplinam monaſteriis impoſuit, eoque fine Anno DCCCXIX. in Concilio Aquisgranenſi librum (*) juſſit componi, qui contineret *perfectionem vitae canonicae*, in quo determinandam curavit tum *cibi* tum *potus & omnium neceſſariorum ſummam, quem librum per omnes civitates & monaſteria regni ſui juſſit deſcribi* (**). Monachi pro norma vivendi tenebant plerumque regulam S. Benedicti; Clerici vero regulares, ſeu Canonici, ſacros canones, hinc inde decerptos, pro norma vivendi amplectebantur. Chrodegangus, Metenſium Archiepiſcopus, ex Carolo Martello ortus, canones denuo ex Conciliis Sanctiſque Patribus collegit, circa Annum DCCLXII. & regulam S. Benedicti pro fundamento ſuae conſtitutionis poſuit. *Regula Chrodegangi Canonica* capitibus conſtat 86. & in lucem ab ACHERIO (***) fuit protracta. LUDOLFUS, Dux Saxoniae orientalis, ſocer Regis Ludovici Germanici junioris, filiam ſuam Hathumodam in diſciplina & convictu Abbatiſſae, quae Coenobio Herivordienſi Benedictino praeerat recens exſtru-

(*) Amalarii hunc librum exhibet JACOBUS SIRMONDUS, Tom. II. *Concilior. Galliae*, p. 333. ſq.

(**) Verba ſunt AUCTORIS *vitae Ludovici*, p. 368. Conf. ADEMARUS *Cabannenſis*, p. 158. Chronici, Tom. II. Labbeano.

(***) Tom. I. *Spicilegii Eccleſiaſtici*,

ſtructo, educandam & inſtituendam curavit. Eamdem Hathumodam, vix XII. annos natam, Ludolfus pater Coenobio novo Benedictino, quod in *Veteris Gandersheimii* villa condiderat, praefecit. Ricdagus Comes haud longe ab eo loco jam antea Coenobium pro virginibus Benedictinis in Lammeſpringe condiderat, eique filiam ſuam unicam praepoſuerat Abbatiſſam. Immedus Comes, regnante Henrico Aucupe & Ottone Magno, locum Ringelheim, in *Saltga* poſitum, Coenobio novo Benedictino ibidem conſtituto, nobilitavit. Quam conſuetudinem aedificandi Coenobia, ſemel illuſtribus judiciis ornari ſolitam, aetas ſubſecuta in imitationem transtulit, accedente inprimis, ex venerabilis Bernhardi inventis, ordine Ciſtercienſi.

Nec eſt credibile, quemquam fore tam impudentem, ut eam Carolingorum, Ludolfi, Ricdagi ac Immedi, Comitum, diligentiam atro carbone prorſus notandam eſſe, arbitretur. Licet enim, jam in locum auri ſubinde ſcorias & lupina, per doctrinas nonnullas Theologiae adſutas, ſucceſſiſſe, infitiari haud auſim; id tamen laude eſt inſigniendum, quidquid ad profeſſionis a Chriſto exortae propagationem & ad incrementa rei litterariae per ſubſtructiones Coenobiorum acceſſit. In Coenobiis enim adſervatae fuerunt bibliothecae: in Coenobiis conſignata ſunt annalium & hiſtoriarum monumenta: in Coenobiis Latina retenta fuit lingua, ſapientiae anſa & inſtrumentum: in Coenobiis deſcripta & cuſtodita fuerunt antiqua Patrum volumina: in Coenobiis diplomata & multa Sanctioris litteraturae cimelia fuerunt reſervata: in Coenobiis, tanquam in aſylis, char-

chartae publicae & privatae plerumque inviolatae manſerunt, e quibus hiſtoriam aetatis mediae ac familias Ducum Comitumque Germaniae illuſtres propius noſſe ac demonſtrare valemus. Quis, AUDITORES, haec Dei beneficia non veneretur mente pia ac obſervantiae plena? Et hactenus quidem bene!

II. Ut autem Satanas tritico ſolet lolia & quiſquilias immiſcere, ita etiam puritas deſtinationum & innocentia conſiliorum, quibus origines Coenobiorum debentur, non diu perſtitit ſuis incluſa limitibus. *Canonici* ſaeculo decimo ac undecimo coeperunt bonis litteris ac inſtitutioni, adoleſcentibus impertiendae, humeros animumque ſubducere. Monachi, pedetentim lucra ſua ex ruditate & ignorantia aliorum amplificaturi, litteras neglexerunt, ac ſodales ſuos ab eruditionis arce nobiliſſima ſubmoverunt (*). Quam ob cauſſam, ſaeculo jam XIII. Summus Pontifex Innocentius III. peculiares Philoſophiae ac Theologiae Doctores inſtitui & ſingulares exaedificari ſcholas juſſit, veritus ſcilicet, ne nox barbariei denſiſſima ipſam Euangelii lucem reſiduam opprimeret. Quum tandem Ordines Monachorum augerentur, coenobitas inexſatiata invaſit invidia, ac aemulatio eos inceſſit immanis, per quam ipſi in dies diſſidere ac controverſias varias, ad aetatem noſtram progreſſas, de praerogativis honorum, dogmatum, & poſſeſſionum agitare coeperunt.

(*) RICHARD SIMON, *Hiſt. des Revenues Eccleſiaſtiques*, p. 340. " Les Monaſteres étoient autrefois des Eco„ les publiques, où l'on elévoit & inſtruiſoit les jeunes „ gens. On leur a donné de grands biens à cauſe des „ ſervices, qu'ils rendoient au Public. „

runt. Ciſtercienſes Monachi litteras bonas fere orco & inferis addixerunt, tantum abeſt, ut eruditioni promovendae ſuppetias tulerint. JEREMIAS *de* INGIMBERTO, generalis Ciſtercienſium Abbas, Romae, anno hujus ſaeculi triceſimo primo, librum edidit; Italice conſcriptum, cui eſt titulus: *La Teologia del Chioſtro.* In quo id potiſſimum agit, ut lectori perſuadeat, Monachorum haud eſſe, ad litteras & ſtudia incumbere. Et quis ignorat, Auditores, controverſiam, quae ante hos triginta circiter annos Joanni Mabillonio cum Abbate Trappio, ratione ſtudiorum monaſticorum, interceſſit? Nonne Trappius Monachos univerſos a litteris excolendis ſecludere & arcere moliebatur? Praecipue autem in Coenobiis integritas doctrinae Chriſtianae fuit admodum deformata panniſque adſutis corrupta. Creditum enim eſt vulgo, inſigne ad animarum ſalutem conferri incrementum, ſimulac Monachi pro mortalibus hymnos & vigilias peragerent, pro hominibus, inquam, qui data opera in Deum & alios quosque peccare nec intermittunt nec intermittere ſtatuunt. Saepius quidem, fatebor enim, monaſteria fuerunt ad modulos novos reformata, quemadmodum pateſcit ex Ordinis Benedicti-ni reformatione Fuldenſi, Cluniacenſi, ac Bursfeldenſi, ſiquidem de poſtrema illa integrum Buſchii exſtat opus, ab Illuſtri Leibnitio in lucem emiſſum. Verum enim vero eae reformationes vulnera palliabant, non percurabant. Inſtitutio puerorum & adoleſcentum inde melior haud fuit reddita. Tenuiſſimum illud eruditionis ſcholaſticae praeſidium conſtitit in qualicunque linguae Latinae cura, in Catecheſi Chriſtiana admodum arcta, & in excolenda rudiori

rudiori Matheſeos parte, quam *Computum* vocabant *Eccleſiaſticum*. Inſtaurare coeperant inſtitutionem litterariam, ſaeculo XIII. Franciſcani & Dominicani. Sed ille ardor mox remiſit, ac ipſae ſcholae, templis cathedralibus adjunctae, deficere ſenſim coeperunt. Monachi in ſchola interiori grandi pretio pueros juxta ac ſenes delirare docuerunt. Saeculo demum XV. ſcholae publicae hinc inde coeperunt aperiri. ALBERTUS CRANZIUS, (Metrop. L. III. c. 43.) qui inter initia ſaeculi XVI. obiit, diſtincte ſcripſit: *Nulla eſt in Saxonia publica ſchola, quae centeſimum longe ſuperet annum.* Brunsvici ludos litterarios olim moderabantur Monachi Aegidiani, ac ei, qui ſcholae, ad templum Blaſii & Cyriaci exſtructae, praeerant. Sed inepta ex eorum inſtitutione taedium civibus ſubnatum fuit. Requirebant ipſi magiſtros doctiores. Magiſtratus Brunsvicenſis Pontificem Romanum, Joannem XXIII. miſſis oravit litteris, ut ipſi liceret ludum litterarium aperire. Vix eam ille impetraverat gratiam, quum Capitulares D. Blaſii & Cyrinci, ac Monachi Aegidiani, miſſis Romam legatis, rem eo deducerent, ut Pontifex judicatum reſcinderet. Depoſito autem Joanne, Martinus V. ſolium conſcendit, quo judice, ampliſſimus urbis Brunsvici Senatus poteſtatem impetravit, conſtituendi ſuo arbitratu ludos litterarios, ac ſaluti liberorum ſuorum proſpiciendi. Ex qua commemoratione ſatis intelligitur, Canonicos & Monachos tum bonis litteris magis obſtitiſſe, quam profuiſſe. Et quid de igne expurgatorio, de operibus ſupererogationis, de conſiliis perfectionis, de voti monaſtici excellentia & merito, de nocentiſſimis adquirendi modis, de

opere

opere operato, de ſtupris clandeſtinis, ac ſexcentis aliis dicam incommodis? Quid de barbarie monaſtica dicam, ab Ulrico Huttenio ſatyrice ſatis, in *Epiſtolis obſcurorum virorum*, tradu&ta?

III. Hoſce ut naevos, vitae monaſticae inſidentes, abſtergerent, ac Coenobia ad mentem S. Auguſtini reformarent Principes ac primores Proteſtantium, ipſi profecto nihil fecerunt reliqui, nullique operae pepercerunt. Liceat veſtra pace, AUDITORES, per terras Brunsvicenſes tantum circumferre oculos, liceat deſignare, qua ratione Coenobia fuerint ad inſtituta & prima & ſalubria quaſi poſtliminio revocata. Anno jam MDXLIII. foederati Smalcaldici, Joannes Fridericus & Philippus Magnanimus inprimis, Vitebergae Ordinationem Eccleſiaſticam pro terris Brunsvicenſibus juſſerunt publicis deſcribi formis, cui praefixus hic eſt titulus: Chriſtliche Kerkenordening im Lande Brunſchwig, Wulffenbuttels deiles. Pars & inſcriptio poſterior hujus Ordinationis ita inchoatur: *Sequitur pia & vere catholica & conſentiens veteri Eccleſiae Ordinatio caerimoniarum, pro Canonicis & Monachis, qui reliqui ſunt in terra Brunsvicenſi, donec moriantur; Nam quemadmodum ex bonis illis Eccleſiaſticis non ſuperſtitioſi & blaſphemi Monachi; neque ocioſi Canonici, ut nunc nihil aliud dicamus, poſthac alantur, ſed conſtituantur miniſteria publica Eccleſiarum, quibus indigemus, & curentur pro emeritis Miniſtris, pro Studentibus, & aliis pauperibus, ſuperius in hac noſtra Ordinatione exemplum propoſitum eſt.* Hic eſt ille titulus & nervoſus & diffuſus. Eodem propemodum tempore, Eliſabetha, vidua Ducis Erici ſenioris ac mater Erici junioris, Ducis Brunsvicen-

tenſis ac Luneburgenſis; Mundae ad confluentes, Werram & Fuldam, reſidens, anno ſupra quingenteſimum quadrageſimo ſecundo, conſcribendam curavit Ordinationem Eccleſiaſticam, qua limites ponuntur caerimoniis monaſticis atque horis canonicis. Nihilo ſecius reluctabantur huic reformationi non ſolum Monachi, ſed etiam inprimis Canonici, animamque eidem Sereniſſimae viduae ſuppeditabant, ut ipſa, Anno MDXLIII. ad ſingula monaſteria, quae ditioni Erici erant ſubjecta, graviſſima dirigeret juſſa, cum minis conjuncta. Conſtitutio utraque, Hannoverae anno MDXLIV. cum praefatione Antonii Corvini, fuit in lucem publicam emiſſa, & quidem ſub hoc titulo: Chriſtlike Kerkenordeninge / Ceremonien und Geſenge / vor arme ungeſchickede Parheren yn dem löfflikeu Förſtendome Hertogen Ericks geſtelt unde yn den Druck gegeven. Addita eſt Conſtitutio, de Ritu confirmationis reformato. Inter haec Abbas venerabilis Riddageshuſani Coenobii, D. Lambertus a Balven, reformanda eſſe Coenobia, haud abnuebat. Quem ut Helmoldus Poppius magis magiſque ad album veritati adjiciendum calculum inflecteret, ex oppido Goslariae tradidit Wolfebuttelenſi typographo, Henningo Rudem, typis publicis excudendam *Collationem decimam tertiam Joannis Caſſiani*, cum libro *Proſperi Aquitani, de Libero Arbitrio*, adverſus eamdem Caſſiani collationem, & utrumque opus Abbati dicavit atque inſcripſit. Simulac vero Dux beatiſſimae memoriae Henricus junior terras ſuas, a foederatis Smalcaldicis vacuefactas, recepit, idem Lambertus de Balven, Wolferbuttelae, Anno MDL. 8. edidit *Catechiſmum Eccleſiae*, ſeu Lere unde Han-

delung des hilligen Christendoms / uth der Warheit des godtliken Wordes / korth unde lesslick beschreven / tho der behoff der armen Parheren ym Förstendome Brunswigk. Sustinebat hic liber vicem Ordinationis novae Ecclesiasticae Pontificiae, quae ipsius Principis nomine ejusque jussu fuit distributa ac promulgata. Pax inter haec Passaviensis, ac religiosa, reditus Coenobiorum Principibus Protestantium permisit, sed, quod memoratu dignum, in usum ministerii Ecclesiastici ac scholarum. Obstabant vero initiis reformandae in Coenobiis doctrinae ac disciplinae tum Henricus, tum Ericus, uterque Junior. Hic enim ad Pontificios denuo fuerat relapsus; ille Pontificiis palam adsentiebatur. Sed Deus impedimenta illa tandem in auspicia faustissima convertit, eo quidem eventu, ut, Duce utroque vita sua defuncto, monasteria singula per omnem Ducatum Brunsvicensem reformarentur & ad usum pietatis, doctrinae purioris, ac litterarum, congruenter exemplo S. Augustini, reducerentur. Exstat elaborata ac edita eum in finem Ducis Julii *Ordinatio Coenobialis*, Klosterordenung quam paucis videre licuit. Conversa fuerunt Coenobia passim in scholas, videlicet Amelungesbornense, Aegidianum, Riddageshusense, Scheningense S. Laurentii, Marienthalense ac Michaëlsteinense, nec non Walkenredense & Ilefeldense. Coenobiorum aliorum reditus annui paedagogio Gandershemensi (*) quod in Academiam Helmstadiensem efflоruit, fuerunt adplicati, nominatim Coenobii S. Mariae prope Gandershemium, Wibbrechtshusen, Steine, Wene, Reinhausen, Pö-

(*) De eo differut, in *Historia Ecclesiae Collegiatae Gandersheimensis Diplomatica*, p. 1628. sqq.

Pöhlede, ac quam plurium aliorum. Ac licet anno ſuperioris ſaeculi undetriceſimo redirent Abbates Praepoſitique Pontificii in Coenobia, melioribus uſibus jam deſtinata; gaudium tamen illud Pontificiorum minus fuit diuturnum. Nam, biennio inde vix elapſo, Abbates illi, victricibus Suecorum armis territi, fugam adripuerunt. Schola Riddageshuſana tandem, ineunte hoc ſaeculo, adſpiravit ad laetiora doctrinae ſacrae incrementa, converſa quippe a Duce Sereniſſimo, ANTONIO ULRICO, in collegium candidatorum SS. Theologiae; quem ſplendorem triginta poſt annis Coenobio quoque Michaëlſteinenſi adfulſiſſe, omnibus adhuc notum eſſe intelligimus. Quid igitur eſt reliquum, niſi ut Deo ter Optimo Maximo gratias agamus ac habeamus pro eis uſibus fructibuſque, qui noſtra aetate ex reditibus Coenobiorum hujus Ducatus ad amplificandas Theologiae pulchritudines literaſque egregias excolendas, copioſiſſime redundant.

In praeſens nos a verbis & votis ad rem ipſam & ad examen ipſum ineundum, ſi ita placuerit Auditoribus, convertemus, ut vel hoc ipſo exemplo pateat, qualia olim exſtiterint Auguſtini & Caſſiani Coenobia. Mandavit, Adoleſcentes lectiſſimi, mihi DUX SERENISSIMUS, HERUS meus CLEMENTISSIMUS, ut profectibus veſtris explorandis interſim. Ipſe Dominus noſter adeo menſuram patris patriae explet, ut Ephoros & Praeceptores praeſidio muniat atque auctoritate ſua confirmet, ut curas ſuas ad ſalutem adoleſcentiae omnigenam promovendam uſque demittat, ac ut de felicitate omnium pariter ſit ſolicitus.

Digitized by Google

Macti ergo virtute & animo, Adoleſcentes, periculum facite veſtrarum virium profectuumque veſtrorum, ac ea, quae memoria, ingenio, & judicio adſecuti fuiſtis, promte ac alacriter proferte in medium, ut Adſeſſores honoratiſſimi de diligentia veſtra recte ſentire valeant ac judicare.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

00565804

Digitized by Google

Digitized by Google